155 -1

NEXVS
PHILOSOPHIÆ
THEORICO-POLITICÆ

Seu

Theſes ex Vniuerſa Philoſophia Spec
Ethicis conſentientes principiis
Quas ſaventibus auſpiciis
Sacratiſſimi, Auguſtiſſimi et Invictiſſ:
ROMANORVM IMPERATORIS
LEOPOLDI
Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ etc:
Regis Feliciſſimi.
Dicatas Honori.
Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D.D.
IOANNIS HERTVIGII S.R.I.COM:
DE NOSTITZ
Hæreditarii Domini in Falkenau. D.ni
in Heinrichsgrin, Littmitz, Tschoka, Paſka=
mirzicz, Tyrmitz, Saar, Gaditz, Tſcher=
naschek, et Libochovia etc.
EQUITIS AVREI VELLERIS
Sac: Cæs: Rg. Maje: Intimi Actualis
Consiliarii. Camerarii. Supremi in Reg:
Boëmiæ Cancell:
Defendit
Perill: ac Gen: Dominus
Ferdinandus Christophorus
DE SCHEIDLERN
Eques Boëmus
Editio Secunda
minor

Præside R. ac
Doc. P. Geor.
Wei Soc. Iesu
Prof. ordin.

In Vniuersit.
Pragensi An.
1672. men.
se Septembri di.
6.

Google

Digitized by Google


10

Digitized by Google

EX LOGICA.

THESIS I.

UNIVERSALE FIT PER ACTUM ABSTRAHENTEM à PARTICULARIBUS.

Qui bonum quærit Univerſale, non intueatur particulare.

PArticularia ſunt Univerſali ruina, qui ſua quærit, univerſalis non eſt: bonum privatum quærere, eſt bonum publicum perdere. Quot Reſp: in ipſis nunc ſedibus quæruntur amiſſæ, quas commodi privati ſtudia perdidêre! Infelix Imperium! nec littoribus Oceani ſtetit, & tandem vix intra Vrbis Romanæ mœnia conſtitit. (*a*) Sylla cum Mario ſua quærit commoda, & quanta tempeſtas in Vrbe media! non ceſsârunt odia, donec deeſſent, qui exciperent vulnera. Ipſe Sylla cum ſanguine devomuit animam, ut nataret ſanguine, qui natare juſſerat in ſuorum ſanguine Romam. (*b*) Hinc horrida Iulij & Pompeji prælia: (*c*) Cæſaris 23. vulnera: (*d*) Bruti & Caſſij funera: (*e*) ma-

(a) *Florus lib. 3. c. 21.* (b) *Flor: ibid:* (c) *id: l. 4. c. 2.* (d) *id: l. 4. c. 3.*

(*e*) manibus omnium lacerata Reſp: quia manibus omnium petita. Singuli ſibi, non Reipublicæ, hinc illæ lamentabiles Reip: laniénæ. Vtilitas privata certat cum publica? hanc amplectere, illam ſepone. Si perierit patria, quid ſperas navi perditâ? miſera ſpes! quæ vehitur tabulâ. Sta pro Patria, nè cadas cum illa. Vt Romani Populi moriturieus libertas viveret, Brutus ſanguinem, Curtius vitam dedit (*f*) AElius Prætor ſuam delegit extingui Familiam, nè Reipublicæ felicitas extingueretur. (*g*) Philæni Carthagine nati Fratres, vivi deſcenderunt in tumulū, quò Carthaginis altiùs exurgeret Imperium: (*h*) vivite Heroës! boni publici Patres! generoſos hos auſus, ætas nulla, nec Rerumpub: interitus delebit. Similes velim Principes, ſimiles miniſtros. Terreſtris DEVS eſt, (*i*) Cælum Reſpub: Intelligentiæ Miniſtri: moveant cœlum, non ſibi, ſed Populorum utilitati. Princeps, terreſtris Sol eſt, ſtellæ ſunt Miniſtri: à Sole lumen excipiunt, ut reddant. Princeps, Navarchus eſt, Navis Reſp: Nautæ ſunt Miniſtri; vilis eſt, qui ſe unum mavult incolumem, quàm navis ſalutem. Opto Principes omnes Alphonſos eſſe: habuit Alphonſus Rex Legionis Symbolum, quod exhibebat ſuo ſanguine paſcentem pullos Pelicanum, inſcriptio: *pro Lege & pro Grege.* (*k*) Intingo calamum in Pelicani ſanguinem, & inſcribo propylæis Principum, diſtante Petrarchâ hoc documentum: *Tuas res téque ipſum*

(e) *id: l. 4. c. 2.* (f) *Plutarchus in Bruto. Livius l. 17.* (g) *Valer: l. 5. c. 6.* (h) *Sabel: l. 2.* (i) *Corn: à Lap. in expoſ. c. 7. Exodi.* (k) *Maſſec: imag:*

ipſum obliviſcere, populum tuum & Remp: cogita, quo die primùm Rex fuiſti. Tibi moriens, alijs vivere cæpiſti. (1)

THESIS II.

TOTUM, QUOD PRÆDICATUR DE UNO, POTEST PRÆDICARI FORMALITER ETIAM DE ALTERO.

Laus unius non ſit nocumentum alterius.

GRande pondus in laude: ipſa virtus ſi laudetur, creſcit: laus eſt *alimentum virtutis.* (*a*) Lauda virtutem, calcar addes, curret celeriùs, *pro calcari laudem habet virtus.* (*b*) At dum hoc calcar, ut virtutis ſtimulum, addis uni, vide nè punctura ſit alteri. Fomentum unius, non ſit vulnus alterius: unius encomium, non ſit alterius vituperium. Laus tua profit uni, non noceat alteri, *periculoſa plenum opus eſt alea,* cum alterius nocumento laudare. *Percuſſit Saul mille, David autem decem millia.* (*c*) Laus Davidis, contemptus Saulis, hinc Saul *non aſpexit eum rectis oculis ab illa die.* (*d*) Hæc alea malè jacta Marium perdidit & Syllam. Laudabatur hic à robore corporis, Mario præferebatur. Inuſtam ſibi putabat Marius ignominiam, quam delere non poſ-

a 2 ſet,

(a) *Valer: Max: l. 2. tit. de antiqu. inſtit.* (b) *Timpl: Eth: gen: l. 2. 4. 6.* (c) *Reg: 1. 8. 18. v. 7.* (d) *Reg: ibid. v. 9.*

ſet, niſi ferro Syllam & cum Sylla ſeipſum deleret. (*e*) Quid perdidit Thraſeam, Romani cor Senatûs ? laus, prædicabatur paſſim ab omnibus, à venerabili ſpecie, morum gratia, vitæ innocentia, prædicatio erat de uno, non poterat dici de omnibus, de Nerone non poterat. Indignatus Nero, ut adimeret laudem Thraſeæ, laudatum interemit. (*f*) Quid Ariſtidem perdidit ? laus, erat æquitatis pullus optimè de patria meritus, ab omnibus laudatus. Athenienſis Civitas laudem ferre non poterat, Ariſtidem ſuſtulit. (*g*) Hinc pacificus Auguſtus, ut haberet pacem, *nec audire voluit ſuam laudem*. (*h*) Et Peſcennius Niger, Panegyrico ſe putabat denigrari, non laudari, dixit: *irriſio eſt vivorum laus: vivis placere volo, mortuus etiam laudari*. (*i*) Fateor magnum eſt in laude periculum; ſi tamen laudare vis, non lauda nimis. Vt rectè laudes, Eugenij II. habe picturam: bilanx eſt, & ulna in manu ſuſpenſa, inſcriptio: *cuique ſuum* (*k*) bilancem habe, pondera: ulnam, menſura: da laudem ad æquipondium meriti, ad menſuram benefacti.

(e) *Plutar: in Mar:* (f) *Tacitus 16. An.* (g) *Sabell: l. 4.* (h) *Suetonius in Aug:* (i) *Ælius Spartan:* (k) *Maſ: ſpec: imag:*

THE-

THEORICO.POLITICÆ

THESIS III.

GENUS PRIUS AD SPECIEM, QUAM AD INDIVIDUA, ETIAM INCOMPLETA, CONTRAHITUR.

Gradatim aſcendendum.

CHi *và piano, và ſano,* † dicit Italus: *Petit à petit l'oyſeau faict ſon nid,* * canit Gallus; *Feſtina lentè,* monet Latinus: σπεῦδε βραδέως, clamat Græcanicus: aſcendendum eſſe gradatim, vult omnium ſenſus. Genus non tranſilit ſpeciem, ut ſaliat ad individuum, dicit Logicus Miniſtros non promovendos per ſaltum, Ethicus docet Scipio Ammiratus. (*a*) Et hoc eſt, quod pingi curavit Rex Galliæ Renatus: bovem pedetentim ambulantem, Regia portantem inſignia, cum epigraphe: *Pas à pas.* (*b*) Feſtinata magna non ſunt, hinc Pyrrhi S.R.I. Principis Symbolum: arbuſcula humilis, humilior adſtans Pygmæus, inſcriptio: *Feſtinata minuuntur.* (*c*) Quis excreſcit citiùs, quàm Pygmæus? & tamen minor omnibus. Stirpes quò creſcunt celeriùs, eò manent humi-

† Qui ambulat paulatim, it ſanus.

* Senſim ſinè ſenſu avis ſibi nidum facit.

(a) *l 3. diſc. 3.* (b) *Typoth: Symb: T. 1. f. 52.* (c) *id. ibid.*

milliùs. Arbores contrà (ùt Quercus & Tilia) quò ſurgunt tardiùs, eò aſſurgunt altiùs. Majora ſunt, quæ paulatim acquiruntur, quàm ea, quæ feſtinantur. Honores feſtinanter acquiſiti minores ſunt longè, quàm ij, qui arborum excelſarum inſtar, ſenſim grandes agunt radices. Hi, quia baſim habent, ſemper augentur, nec facilè corruunt; illi, quia debili nituntur radice, vel leviculo novercantis Fortunæ flatu proſternuntur. Quod citò fit, citò perit, evellitur facilè, quod firmâ caret radice. Feſtinus aſcenſus, quàm Miniſtris honorificus, tam mihi videtur periculoſus, provocat æmulationem, inflammat odia ſolo plurimùm ſanguine reſtinguenda. Princeps te non amat ſi ſic exaltat: quia vitam tuam objicit æmulationi, odio, ferro. Non reputa beneficium hunc Principis affectum: fateor, ingens eſt, ſed claudere ſolet illum ingens præcipitium. Prudens es? feſtina Fortunæ munera ſemper habe ſuſpecta; inter inopinatos arriſus, time præcipitia. Rarò æternant, citò nata: quorum accelerata magnitudo eſt, non ferunt ætatem; ferunt, quorum lenta, & tarda eſt. Advertiſſet hoc Riſius, Scoticæ Reginæ Aulicus, (*d*) vix cecidiſſet à Regis familiaribus, tam numeroſo vulnere confoſſus. Hujus infelicis Aulici ſanguine, inſcribo ejus tumulo, viatori Miniſtro monitum: *citò aſcendi, citò deſcendi:* ſi deſcendere non vis, aſcende gradatim: ✶ *Pas à pas:* Etiam: *Pian piano, ſi và lontano.*

THE-

(d) *G. Buchamanus Rer: Scot: l. 7.*

✶ Senſim ſine ſenſu venitur procul.

THESIS IV.

SPECIES ABSTRACTA, HABENS NON NISI UNICUM INDIVIDUUM POSSIBILE, NON IMPEDIT, QVO MINVS SIT PLVRIBVS INDIVIDVIS COMMVNICABILIS, ADEOQVE EST VNIVERSALE.

Aliena mala nè tibi imputentur.

SI ulli, notandum hoc eſt Principi, nè illi imputentur mala populi. Percurre hiſtorias temporum: laudant. Sæculum? etiam Principem laudant. Sæculo faciunt convitium? etiam Principem convitiantur. Habet laudem à ſæculo Diocletianus, quia fuit aureum: Maximianus habet convitium, quia fuit ferreum. (*a*) Aureos mores habet Princeps? fortunam auream in mores rejicit populus. *Regis bonitas tutamen eſt Patriæ, temperies aëris, maris ſerenitas, terræ fœcunditas.* (*b*) *Venit Druſus in Germaniam, mutari homines, alia terra, cœlum ipſum mitius, ſolitéque mollius videbatur.* (*c*) Ferreos mores habet Princeps? fortunam ferream in mores rejicit populus. Imperante Commodo: *Non jam, ut antea, multitudo benevolè Commodum aſpicere, ſed referre etiam cauſas omnes calamitatum, quæ crebra*

(a) *Lamprid: fin: Heliog:* (b) *Auguſtin:* (c) *Flor: l. 4. c. 12.*

erant, intemeraria ejus homicidia, in nota flagitia, in peſſimos mores. (*d*) Odium populi declinare vis? aureos mores habe, aliena tibi mala non imputentur. Etiam ferreum ſit ſeculum (ſi tamen poteſt eſſe ſub aureo Principe) ſi fueris aureus, non rejiciet in te ferrum populus.

Ex hoc etiam principio, caventes, nè aliena mala ſibi imputentur, ſapienter faciunt Principes, qui dum Martem evocant, vectigalia nova imponunt, tuendorum regnorum & ſubditorum causâ, oſtendunt clarè ſe ad hæc mala, neceſſitate potiùs invitos compelli, quàm gloriæ vel opum augendarum ſtudio allici: Peritos Medicos imitati, qui emunctionem ſanguinis, non niſi ad evidens totius corporis bonum permittunt. Adeoque dum vel in plectendo ſeveros, vel in milite & ære colligendo ſolicitos ſe exhibent cum veritate dicere poſſunt ſubjectis ſibi populis: *Vos me coëgiſtis.* (*e*)

THESIS V.

PROPOSITIO VERA POTEST TRANSIRE IN FALSAM.

Etiam Veritas fallere poteſt.

SUam etiam habent Veritatem falſi Politici, ſed fucatam, induit illa faciem ſtibio, verba tegit purpuriſſo. Pomum eſt

(d) *Herodot: l. 1.* (e) *2. Cor. 12.*

eſt ad Gomorrham, & Sodomam: (*a*) maturum ad ſpeciem, favillaceam alit intus fuliginem, preſſa cutis fatiſcit in pulverem. *Pictura eſt:* coloribus exprimit falſam faciem veritatis. *Speculum eſt:* repræſentat oculis ſimulatæ vultum veritatis. *Umbra eſt:* mentitur imaginem Veritatis. Extra dubium eſt, fallit hæc veritas: Veritas, non Veritas *uva Xeuxidea* pictura (*b*) Veritatis umbra, hanc Veritatem non tangit hæc gnoma. De Veritate loquor, quæ fuco non tingitur, ſtibio non induitur, pallio non tegitur, de Veritate nuda, quæ *nunquam latet,* (*c*) etiam hæc poteſt fallere, non ſui vitio, ſed audientis, ſed videntis malo. Quid terrâ firmius? moveri putatur à vertiginoſo; quid Sole clarius? non videtur à cœco; quid melle dulcius? amarum eſt palato felleo. Vt terra ſtat firma veritas: putabis moveri, ſi caput rotat fallacia. Vt Sol eſt, clara Veritas, (*d*) non videbis, ſi mentem excæcat imprudentia. Vt mel eſt, grata Veritas: hinc Ægyptij cùm Mercurio ſacrificarent melle, clamabant elatâ voce: *dulcis eſt Veritas* (*e*) eſt dulcis, eſt mellea: ſed non ſapit, ſi palatum infecit falſitas fellea. Multi quaſi felle infecti, non credunt ulli, nec Veritati; dic Veritatem, fallentur. Habebat Concubinam Imp: Ieus Paoſuam: nunquam ridebat, dilacerando holoſerico ſe recreabat. Riſum excitaturus Imperator, excitavit ignem (erat hoc militibus accurrendi ſignum) & ità milites non ſemel deluſit: videns illos Regina fruſtratos, tota ſolvebatur in cachinnos,

Sed

(a) *Strabo l. 16.* (b) *Plin: l. 35. hiſt: Nat.* (c) *Sen: Troad:* (d) *Pier: l. 44. p. 480.* (e) *Maſ. ſpec. imag.*

Sed ecce ! quàm infauſta deluſio ! excluditur à Sceptro legitimus Filius Ikiejus, ſubſtituendus eſt Paoſuæ Spurius. Ikiejus Imperatorem adoritur, Imperator accenſo igne convocat milites, at rati ſe deludi, Imperatorem negligunt, necatur. (*f*) Vixiſſet Ieus, ſi Veritas, cui credere nolebant milites, non fefelliſſet. Nec tantùm poteſt fallere Veritas, ſi non credis: etiam poteſt, ſi credis. Vocitabat Fridericus II. Imper: arma, theſauros: Milites, captivos: gliſcentem apud Samminiatenſes rebellionem extincturus, quid non fecit ? ſuos cum captivis theſauros apud eos ſeſe collocare velle ſignificavit, miſit arma tecta, pro theſauris, fortes milites, pro captivis. Credebant captivos Oppidani, at brevi milites experti ſunt, Oppidani captivi. (*g*) Fefellit Veritas & oppidum in poteſtatem Frederici redegit. *Fide ſed cui, vide:* etiam *V*eritas poteſt fallere, vide, quando ipſi Veritati poſſis fidere.

THESIS VI.

VERITAS PROPOSITIONUM EST OBIECTIS POSTERIOR, IDEO DE FUTURIS CONTINGENTIBVS, VT TALIBVS, DETERMINATE NON DATVR.

Præſagia facere miſerum eſt, periculoſum eſt.

EST *miſerum.* Audi dilemmaticum con-

(*f*) *Martini Martinius hiſt: Sin: l. 4. p. 101.*
(*g*) *Fulg: l. 7. c. 4.*

contra præſagos Phavorinum. (*a*) *Quæ præſagis, vel proſpera ſunt, vel adverſa. Si proſpera, & non venient, miſer es, ſi expectas: Si adverſa, & non evenient, miſer es, ſi times.* Si, quæ præſagis, vera ſunt, iterum vel proſpera vel adverſa ſunt: Si hæc, miſer es antè quàm fias: ſi illa, bis miſer es: expectatio te fatigat ſuſpenſum, & ſpes tibi deflorat futurum gaudij fructum. *Eſt periculoſum.* Experto crede Petro de Monte Ticino; congregato ad Conſtantiam Concilio præſagijt duo: Sigiſmundum eo anno Romæ coronandum, & Ioannem XIII. à Concilio cum gloria rediturum, neutrum. Præſagus Petrus toti Conſtantiæ riſus fuit. (*b*) Prudentis eſt, quandoque ſuſpendere judicium, & expectare, quem res habitura ſit eventum. Bifrons eſt prudentia, (*c*) videt multa, ſed non omnia, qui tardè judicat, rarò decipitur, qui præcipitat, plerumque labitur. Irriſit aſinum equus, quòd cùm diviſam habeat ungulam, incedat ſub onere tam tardus. Verum eſt, (reſpondit aſinus) ſolidam habes ungulam, progrederis citiùs, at offendis ſæpius. (*d*) Ex ovo peſſimo, pulli peſſimi generatio: ex imprudenti cerebro, inconſulta præcipitatio, qui non vult pænitere, nolit præceps eſſe, præſagire nolit, qui præceps eſt, præcipitio proximus eſt. Cum Phocione cautus tardare, certum cognoſce, præſtolare. De Alexandri obitu, incerto Auctore, rumor afflârat: Oratores proſiliunt in ſuggeſtum, accendunt Athenas ad bellandum. Tum Phocion, *præſtolamini* inquit, *& certum*

(a) *Gellius l. 14. c. 1.* (b) *Æn. Sylv. l. 4. de Alph.* (c) *Caſar apud Maſ. in Spec. imag. f. 152.* (d) *Maſ. ſpec. imag.*

cognoſcite : nam hodie ſi mortuus eſt, & cras, & poſt, erit mortuus. (c) Scilicet, *lentè feſtinat* vera prudentia, nunquam præceps ad præſagia, expectat eventum cauta. Quid Perſis factum? facto de Victoria præſagio, ante victoriam cecinerunt triumphum : & ecce! per id quod fecêre præſagium, ſe reddiderunt Athenienſibus ludibrium. Cum his inituri prælium, præſagi de Victoria, in Paro Inſula, inſcribendæ Victoriæ parârunt marmor ante conflictum : & quid? Athenæ ſuperant, cadunt Perſæ. Marmor quod præceps excìderat Perſia, pro Athenarum inſperata remanſit Victoria. Incîdo in hoc marmor ſtylo ferreo, documentum Ethico : *Ethice! noli facere præſagia, eventum expecta, non expectavit Perſia, hoc marmor excîdit pro futura Victoria, hanc præſagijt & perdidit, Athenis facta ludibrium.* Præceps Perſia faciat te cautum; non præſagi, *eſt periculoſum.*

THESIS VII.

ASSENSUS AD PRÆMISSAS SEMPER NECESSITAT AD CONCLUSIONEM TAM PROBABILEM, QVAM EVIDENTEM.

Antè vide conſequentiam, quàm præmiſſas admiſeris.

PRæmiſſas admiſiſti, Concluſionem approbâſti : non præcipita nè præcipiteris

(c) *Plut: in Apophth.*

erls. Vide quid admittas, nè *cum Phrygi-
us ſerò ſapias. Conſilium, futurorum eſt oculus,*
a) boni Politici tubus opticus; opticâ di-
ectrice Providentiâ tubum dirige, ſemper
n futura. Tutum proſpicit Providentia, &,
i ordinat illa, quæ ſunt præſentia, in præſen-
ibus videt futura, diſcit in futuris præſen-
ia, an ſint admittenda. *Aſtutus videt peri-
ulum & abſconditur, ſimplex præcipitat &
erditur.* (*b*) AEſtate ſitiens hircus, in præ-
ipitium ſe dimiſerat ad hauriendum; at in
ltum ampliùs conniti non potuit, opem im-
loravit, cui vulpes: ſi tantum habuiſſes in
ente prudentiæ, quantum in mento barbæ,
uç digreſſus non eſſes, antequam de reditu
rævidiſſes. (*c*) Supra hircum capra la-
uit; vidit lupus paſcentem in prærupto,
ixit: deſcende, pratum hic longè pinguius
ſt, deſcende, repoſuit capra: non ut me,
ed ut te paſcas, ſolicitus es lupe. (*d*) Pru-
lens capra! prævidit in conſequentia peri-
ulum, aſſenſum non dedit ad deſcenſum.
*allidus videt malum, & abſcondit ſe, parvulus
ranſit, & ruinat ſe.* (*e*) Providentia cœca
on eſt, finem proſpicit, circumſpicit omnia.
Omnibus erat opprobrio providentis Fabij
unctatio: non facilè verbum dedit, omnia
ircumſpexit. Solus Annibal Fabium ti-
uit, nubem credebat pendentem in monte,
empeſtates prævidebat in nube. (*f*) Cau-
s age, cum lupo foveam metue, ſuſpectos
abe laqueos cum accipitre. (*g*) Bifrons
ngitur Pronœa, ut videat omnia: guber-
atrix ſedet in navicula, complectitur gu-
 ber-

(a) *Did. Saved. Sym. polit. 51.* (b) *Prov. 22.*
c) *Maſ. ſpec. imag.* (d) *id ibid.* (e) *Prov. 27.*
f) *Plutarch. in ejus vita.* (g) *Horat. l. 1. Ep. 16.*

bernaculum dexterâ. (*h*) Qui ſedet ad clavum in Rep:, bene navigat comite Pronœa. Pacem habet, quæ ſequuntur illuſtrat omnia: magneticam acum habet, oſtendit, quæ tenenda ſit via. Vt rem tangas ſemper acu, hanc acum tibi dono mi Ethice! non admitte præmiſſas, priùs hanc acum conſule: quid facias vide; inciſum eſt in hac acu: *Finem reſpice*

THESIS VIII.

PRÆMISSÆ DEMONSTRATIVÆ SEMPER SUNT CERTIORES & EVIDENTIORES CONCLVSIONE FORMALI.

Nemo ſuâ baſi ſtat firmiùs.

FOrtunam *Oceani Filiam* vocat fabula: (*a*) ducta credo, à conſtanti maris inconſtantiâ. Inconſtans Filia, ipſa inconſtantia. Inſiſtit globo, (*b*) à vertendo, quaſi *Vertuna*: cum globo vertitur, nunc in altum attollitur, nunc ad ima deprimitur. Domeſtica Severi Imp: Fortuna (erat aurea Fortunæ ſtatua) Filijs ità fuit relicta, ut diebus alternis in alterius cubiculo hoſpitaretur. (*c*) Fortuna nimiùm oberrat incerta: in incerto ſuam habet certitudinem. De die in diem mutat, & Lu-

(h) *Bochius.*

(a) *Homer:* (b) *Alciatus embl: 11* (c) *Spartian:*

Ludum inſolentem ludere pertinax
Tranſmutát incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna. (d)

Quem Beatum aſpexerat Phoſphorus, ſæpe miſerimum vidit Heſperus. Non crede ſereno, non fide blandimento. Nulli Fortunæ minor habenda fides, quàm optimæ. Inſtabilis eſt, inſtabilior tamen una, quàm altera: habet una præ altera fortius fundamentum. Qualis in fundamento ſoliditas, talis in fabrica ſtabilitas. Baſis qualis, Fortuna talis. Nullius Fortuna ſtat firmiùs baſi ſuâ. Fortuna varia, varia fundamenta. Rogatus quidam Aulicus, quî promoveretur hodie ad Reip: munia Candidatus? reſpondit: per varios caſus ſurgitur ad officia. hic ſurgit per *Nominativum*: Promotorem habet in magno nomine; ille per *Genitivum*: promotorem habet, in illuſtri ſtemmate; hic per *Dativum*: Patronum habet, pingue marſupium; ille per *Accuſativum*: de Caballo (ùt dicit proverbialis Tevto) excutit alterum, & ipſe vacuum occupat ephippium; hic per *Vocativum*: legitimâ ad munus vocatione; ille per *Ablativum*: alterius è vita qualicunque ſublatione. Tòt Fortunæ baſes, quot caſus. *Nemo ſua baſi ſtat firmiùs.* Vide cui innitaris, ſi ſolida eſt, ſtas firmus. Quàm firma Patroni, aut amici Fortuna, tam ſtabilis eſt tua; ruit illa? & tua. Caſus unius, caſum trahit alterius. Timeat, nunquam ſecurus, qui ſtare videtur in baſi ſolida firmus cum Patroni Fortuna. Cadet hæc? ſi non nititur alio fundamento, cadet cum illa. *Suâ baſi nemo ſtat firmiùs.* Hoc notet Viator Ethicus.

THE-

(d) *Horat: l. 1. od: 35.*

THESIS IX.

MOTIVUM PROBABILE VEL OBSCURUM CUM CERTO & EVIDENTI, EODEM ETIAM SIGNO AD EUNDEM ACTUM INFLUERE POTEST.

Diſparata quandoque media optimè ad eundem finem conducunt.

NEſcio, an non primas in documentis Aulicis teneat ſimulatio: non illa, quâ circumvenitur incautus, ſed quâ pericula cavet bene cautus. Nimius candor, & pectus retectum, non ſapiunt Aulicum. Intentio ſæpè tegenda, quæ ab hoſtibus everteretur retecta. Tegendus ſubinde finis eſt: ponenda ad finem media diſparata. Diſſimulanda ſunt ſæpè vota, ſi tendis ad magna: ſimulandum, quæ audiſti, non audita; non viſa, quæ vidiſti. Non rarò ſpes excidet manibus, ſi ſcire te, quæ putabat ignorata, intellexerit AEmulus. Si putat ignorari, non exurget in fraudes, contraria ſtudia non molietur. Sua tegat Aulicus conſilia, etiam, ſi poteſt, facta. Quod agit maximè, agat minimè: ab eo, quod agit, agat diverſum, aget cautiùs, quod agit, intentum. Nec hæc tantùm pro toga, ſunt etiam pro ſago. Imò planè Martis eſt hæc gnoma. Sæpe perfici-

tur

citur ſimulatione, quod non conficitur aperto Marte. Ad finem per media pervenitur diſparata, ad quem non ducerent apertè congrua Hinc illa ſtratagemata, quæ belli Duci, cùm præliandum eſt, ſunt meditanda. Aget id optimè belli Dux, quod hoſtis non expectat: ſic Epaminondas, cùm expectaretur equeſtre certamen, ingentem concitavit pulverem, & ſubitò invaſit à tergo hoſtem inopinantem. (a) Non raro ſimulabat fugam, ut præfidens hoſtis in inſidias trahatur. Sic fecerunt in Craſſum Parthi, (b) in Tomyridem Cyrus, (c) in Cyrum Tomyris. (d) Etiam ſimulata clades dedit victoriam: Titus enim Licinius, cùm à clade ſuos humâſſet, & die poſtero plures è ſuis cæſos inveniſſet hoſtis, aufugit Nonnunquam ſimulata conferunt deditionis pericula: Sinarum gloria, Tientanus, graviter obſeſſus, emiſit ad caſtra viros, fœminas, pueros qui *dicerent in Urbe agi malè, ſe vel apud hoſtes vitam quærere.* Vnde hoſtes ſecuri de Victoria facti languidiores. Tientanus, mille vaccas collegit in Vrbe, cornua armavit falce, veſtivit pannò ſingulas ignitum referente Draconem, illitum pice ſtramen ad caudas adnexuit, cœcâ nocte cum 5000. militum, qui ſtramen accenderent, emiſit; quanta confuſio! turbavit hoſtilem, exercitum, fudit, cepit Vrbes 70. (e) Appingo ad finem Belli ducum tentorijs Mauritij Saxoniæ Ducis Symbolum: *Cetum in mari,* qui objectis ſibi vaſis colludat inſcriptio: *his artibus.* (f) Nimirum deludit nau-

(a) *Front: l. 3. c. 11.* (b) *Ariſtid: Mileſius in rebus Itali.* (c) *idem, ibid.* (d) *Gerd. in lib. expl.* (e) *Martinus lib. 5. hiſt. Sin. p. 173.* (f) *Maſen: Spec: Imag.*

nauta Cetum, cùm navibus imminet periculum: dum enim vaſis in altum jactandis occupatur Cetus, cum navi præterit Nauta ſalvus. Dolo capiendus eſt hoſtis, diſparatis medijs decipiendus. *Diſparata ſæpè media optimè ad eundem finem conducunt.*

THESIS X.

NEQUIT INTELLECTUS IDEM, ACTUM SCIENTIÆ CUM ACTU FIDEI VEL OPINIONIS, DE EODEM OBIECTO, EODEM INSTANTI COMPONERE.

Qui ſcientiam habet de tua aſtuſtitia, fidem non habebit.

AStutia falsè politica eſt prudentiæ Simia, perſonata Prudentia, compta fuco poſt larvam occulta Prudentia Mundo, DEo ſtultitia. (a) Hanc qui callent, dicuntur callidi, verſipelles, dolorum Fabri, fraudum opifices, in diſſimulando belli, in ſimulando arguti, ad fallendum, ex hiſtorijs Lyncei: (b) ex fabulis Argi; (c) ubique centoculi. Antæi cum anima triplici. (d) Hydræ cum ſepteno capite. (e) Geryones cum terno corde. (f) *Alopeco Leontes* Machiavellici; *Vulpem* & *Leonem* induti, qualis eſt

(a) *1 Cor 23.* (b) *Euſtach. Ilia. B.* (c) *Apollonius in Argonauticis.* (d) *Lucanus l. 4.* (e) *Heſiodus.* (f) *Diodor. l. 3. c. 6.*

eſt Princeps Machiavelli. (g) Monſtra, quæ latrant aliud in publico ſibilant aliud in occulto. Quem non decipiant? nec tot laquei ponuntur ab aucupe, nec tot retia jaciuntur à Venatore. Si unquam verum, hâc ætate veriſſimum Petrarchæ dictum: (h) *Monſtrantur digito fraudum Magiſtri, judicatur ille prudentior, qui fallendi peritior.* Dicunt cum Lyſandro: *Ubi non juvat Leonis exuvium, applicandum eſt vulpinum.* (i) Sunt per omnia, qualis Tiberius. Hic animi omnes occultabat affectus: quæ cupiebat, non dicebat: cum oratione voluntas pugnabat; quod expetebat, deteſtabatur: amplexabatur, quod oderat; iraſcebatur, non conturbatus, non iratus. Sic ſtringebat inimicos, ùt amicos. Principis animum putabat eſſe oportere totum incognitum. Verbo ad ſimulandum & diſſimulandum fictus & factus erat, aſtutus Tiberius. (k) Sed quid? quis credidit Tiberio? nullus. Verum amicum habuit nullum, ipſe omnium amicus fucatus, inimicus verus, contabuit omnium odio, miſer politicus. (l) Hoc habes Politice! de tua Scientiam habemus aſtutia, fidem non habemus: fides & hujus Scientia, ſede non morantur in una. Vulpes es, habes foveas: *in animo latebras*: (m) timeo. *Frons, oculi, vultus, perſæpè mentiuntur*: (n) non fido. Magiſtra mihi tua eſt aſtutia, hoc hauſi ab illa documentum: *non fidere.* Facio, quod ille: (o)

Nunc

(g) *in Princip. c. 19.* (h) *in Triumpho Amoris* (i) *Plutar: in Laci* (k) *Dio Nycæus* (l) *Tacit. An. 1.* (m) *Cic. pro Mil.* (n) *id. ad Q. Frat.* (o) *Plaut. Capt.*

Nunc certum eſt nulli poſthac quidquam credere
Satis ſum deceptus ſemel. - - -

Fraus ſemel cognita fidem tollit: redeat ad malaciam Oceanus qui paſſus eſt ſemel naufragium, vix credet amplius mari cautus. Hinc illud:

Tranquillas etiam naufragus horret aquas (p)

Vulpes Gallum ſalutat inſidentem arbori, & num decretum inter feras concluſæ pacis acceperit? interrogat. Negat Gallus. Tum Vulpes: Sic eſt, metum depone, huc accede. Gallus erecto collo, quid hoc? inquit. Ecce bini canes raptim ad nos contendunt. Mox conterrita vulpes fugam circumſpectare, imò & ingredi, expecta vulpes, expecta, clamat Gallus: quo properas? nunquid decreta pax eſt? dubito, ait Vulpes, an de illa canes intellexerint. Cautus Gallus fraudulentæ vulpi non credidit, imò dolum dolo deluſit. Fidem non habet fraudulentus. Veniet Pſeudo Politicus decreſcet in genua, dabit amicos amplexus, oſculabitur manus, ſervus in omnibus, etiam ad calceorum obſequia paratus. Quid tu mi Ethice? non crede. cogita Ioabi amplexus & oſcula: (q) meditari fallacia Iudæ baſia. (r) Ludet officioſus Auceps, ſi credas nihil, non illudet. affirmabit? crede negare; negabit? affirmare crede. Spondebit? Spera nihil, non fallet. Imò tu falles, ſi non credas. At quid ſi & te aſtutum credat? bona res! explica plicas, ſi quas habes in corde. Abſit ab ore loquendi calliditas, à moribus duplicitas: mentis & oris ſerva Symphoniam, ſimplicitatem indue can-

(p) *Ovid. 2. Pont. 7.* (q) *2. Reg. 3. 27.*
(r) *Marci 14.*

candidam, candorem oſtenta non fucatum, pictæ frontis depone tectorium. Dic Veritatem, falles aſtutum. E ſuo te metitur ingenio, quidquid dicas, putat contrarium, ſuſpicatur in fronte velum, in corde plicas, quas omnes ſi candidus explicas, incredulum implicas. Appono poſt omnia Pſeudo Politicæ picturam aſtutiæ :.Chelyn & cum Chely fractas fides. Inſcriptio : *Sinè fide impoſsibile eſt placere.* (*ſ*) Placere ſe putat aſtutus, non placet : ſi placere vis, fidem habe : fides eſt, cum qua placebis.

(*ſ Maſen: Spec: Imag:*

EX PHYSICA.

THESIS XI.

SINE FORMA MATERIA ABSOLUTE NEQUIT EXISTERE.

Sine Rectore Reſp. ſtare non poteſt.

SOlem lucernâ Cleanthis illuſtrarem ſi Anarchiæ mala declararem. Nulla ſtat finè Rectore Reſpublica : communis hic omnium ſenſus, hæc experientiæ doctri-

doctrina. Reſpublica *corpus eſt compaginatum ex membris*, ait, Plutarchus. (*a*) Corpus eſt: ubi caput? ubi ſpiritus eſt; caput & ſpiritus *ſumma poteſtas eſt*. (*b*) Corpus ſinè capite, Reſp: ſinè Rectore: Corpus ſinè ſpiritu, Reſp: ſinè Principe: Materia ſinè forma, Imperium ſinè Monarcha. Tolle caput & ſpiritum, quid fiet cum corpore: cadet exanime, vertetur in pulverem. Tolle Principem, cadet Reſp: ſenſim pulvis erit: exardeſcet minima ſeditio, accendet pulverem, evaneſcet in auram Talem exitum habet Reſp: ſinè Rectore. *Ubi non eſt Gubernator, populus corruet*; (*c*) Salomonis ſenſus eſt. Addunt LXX. *corruet velut folia*; quomodo cadunt folia? à vento ſibilante decutiuntur ex arbore, ſic cadunt. O Reſp: ! ſi Rectorem non habes, cades ùt folia: decutieris ab hoſtibus, ſternêris, & poſt omnia etiam cadens exibilaberis. Gubernator in Hebræo dicitur (*hachbhulu*, à radice *Chobhel*, quod ſonat: *gubernare navem*. (*d*) Iactetur navis in medijs fluctibus, ſi Tiphyn (*e*) non habet, jam perijt, vel ad ſcopulos naufraga, vel ſyrtibus affixa, vel vorticibus hauſta. Navis eſt Reſp: ſicut Tyrus *in corde maris ſita*. *Cedrus de Libano malus* ejus: *quercus de Baſan, rem*: *tranſtra*, *ebur Indicum*: *byſſus de Ægypto, velum ejus*. (*f*) Gubernatorem non habet? ecce ventus conteret eam in corde maris, cum aqua diffluet, obmuteſcet. (*g*)

THE-

a *Plut: inſt. Trajan.* b *Petr: Greg. Toloſ: de Rep: l. 1.* c *Prov. 11. 14.* d *Pagnin.* e *Plin: c. 7. hiſt. nat:* f *Ezech: c. 27. v. 4. 5. 6. 7.* g *ibid. c. 26. v. 32.*

THESIS XII.

PLURES FORMÆ SUBSTANTIALES IDEM SUBIECTUM SIMVL INFORMARE NON POSSVNT.

Subjectum, Imperium; Anima una, unus Princeps; optima Monarchia.

UNe *foy, une loy, un Roy,: una Fides, una lex, unus* Rex, inſcripſerunt portis ſuis Pariſij. Bene ſcripſerunt: *unus Rex.* Scripſerunt, quod dictavit Natura. Habeat laudem Democratia, habeat Ariſtocratia: habet ab ipſa Natura Palmam Monarchia. Cœlos aſcende, concentum audi cum Platone: *(a)* Vnus chori cœleſtis Rector, primum mobile eſt. Regiam Solis *(b)* ingredere: Sol unus Princeps, Sereniſſimus ſiderum Monarcha eſt. In fundum Oceani deſcende, veritatem in fundo cape. Aquæ quàm variæ! hæ ſtagnant in lacubus: iſtæ ſaliunt in fontibus: illæ currunt in fluminibus: & tamen omnes intrant in mare. *(c)* Oceano Principi tributum pendunt omnes. Et quid ſunt *aquæ?* an non *populi, gentes & linguæ? (d)* Vnum ergo Principem, caput unum, habet Imperium. Imperium biceps eſt?

a *Suidas.* b *Ovid: Met: l. 2. v. 1.* c *Eccl. c. 17.* d *Apoc: c. 17.*

eſt? Monſtrum eſt. Triceps? Cerberus (e) eſt. Septiceps? Hydra (f) eſt. Dixit hoc Innocentius III quando prohibuit *Diœceſin unam duos habere Pontifices, ne corpus biceps ſit, & monſtroſum.* (g) *O Caria! multi Imperatores te perdidêre*: clamat hodiedum vetus adagium. At quid ſi Principes amici ſint? Cæſar & Pompejus fuerunt, ſed æmula poteſtas fecit inimicos. (h) Quid ſi Fratres? ſint; quid inde! nunquid *Romanos geminos unum non capit Regnum, quos unum uteri cepit hoſpitium?* (i) Et quomodo Regno? Nec in caſula alicujus Baucidis (k) *duæ ſtant ſummæ poteſtates.* Navis eſt quodlibet Dominium: *propellat navem celerrimus Africus, gemina mentium ſententia ſuper gubernaculo imbecillior eſt unâ mente, cui ſit ſumma poteſtas.* (l) Hic plus unum, quàm duo. Hinc prudenter Prudentius: *nil ſummum, niſi plenis viribus unum.* (m) Claudat Regiam hanc theſin Ioannes Bohemiæ Rex: curavit ille pratum pingi, bovem in prati medio, cum hoc lemmate: *Neminem admitto.* (n)

THESIS XIII.


POTENTIA & ACTUS, SEU MATERIA & FORMA UNIONE MODALI NON EGENT.

Nil

e *Virg. l. 6. Æneid.* f *Heſiodus.* g *cap. quoniam de offic. ordin.* h *Plut: in vit:* i *Cypr: l. de dol: van:* k *Met: l. 2.* l *Euripides in Androm: act. 2.* m *Sub init: hamart:* n *Maſen: Spec: Imag: 402.*

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE
179-D



II

Digitized by Google

Digitized by Google

Nil pete, quo non eges extremè.

PEtere beneficia, eſt deſiderare vincula, quibus vinciaris : ambire gratias, eſt velle catenas, quibus captivus ducaris. Qui multa petit, liber eſſe deſinit: ligatur fortiter, fortiter catenatur, hinc quotidianum illud : *Servus obligatiſsimus, inutilis ſclavus.* Ligatus es? ducêris ſæpè, quò tu non vis : patientia! injecta tibi petenti ſunt vincula: volenti non fit injuria. Accedit aliud in petendo malum, ſcilicet negationis periculum. Abibis ſæpe amaricatus animo, & redibis vacuus cum longo (ùt ajunt) naſo, lectiſſimo quidem ad petendum utêris artificio, at ingenium eludetur ingenio. Sic accidit illi Prælato, (a) qui, cùm ei proprium eſſet viridem geſtare galerum, inhiabat purpureo : hunc ut obtineret, Pontificij Nepotis gratiam, gratioſo munere ſtuduit captare, quid fecit? nota ingenium, miſit ei in argenteo diſco ceraſa, adhuc immatura, & omnino viridia, inſculpſit in margine lemma: *Te Sole rubeſcere gaudent.* Quid ad hoc Nepos Pontificius? dixit : *Rubeſcent difficulter; ſtant enim in magna nimis umbra, à multis majoribus obfuſcata accedere ſolis radij non poſſunt.* Miſer Prælatus! rubor negatus in pileo, ruborem illi excuſſit in facie, non vidit ſua ceraſa rubeſcere, ſed vidit illa cum dedecore ſecum erubeſcere. Periculoſum eſt, petere: petendum igitur eſt pro ſe rarò, rariùs pro alio, interceſſori adnumerant beneficia Principes. & quidquid pre-

a *Engelgr. to. 2. Conc. Dom. 4. Quadr. ult.*

precibus concedunt, precatori adſcribunt. Tibi potiùs integrum ſerva Principem, nec in alios exhauri illius benevolentiæ fontem. Pro te fontem haurire vis? hauri cautè: directè raro pete, ſolùm neceſſitatem expone. Etiam dum petis, tempus obſerva: videtur commodum, cùm amicum aut Principem advertis lætum; minimè, cùm negotijs diſtractum. Si petitiones urgendæ, urgeas cautè, nè videaris imperare. Verbo prudenter pete, antequam petas, petere diſce; ars magna eſt petere.

THESIS XIV.

IPSAM POSSIBILITATEM HABENT CREATURÆ à DEO; UNDE AD ILLAS TRANSCENDENTALITER NON REFERTUR.

Non eſt poteſtas niſi à DEO. (a)

HOc ipſius DEI effatum eſt: hoc æternæ veritatis oraculum eſt Sic loquitur per Paulum Veritatis incarnatæ Nuncium DEUS. Quis non audiat, αὐτὸς ἔφα ipſe DEUS loquitur: *Audite ergo Reges & intelligite, diſcite Iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo.* (b) Audi Nabuchodonoſor: *Tu Rex Regum es, & DEUS cœli dedit Regnum tibi.*

Non

a *Rom. 13. v. 1.* b *Sap. 6. v. 2. 3. 4.*

(*c*) *Non eſt poteſtas niſi à DEO: quæ ſunt, à DEO ordinata ſunt.* (*d*) Audite Duces: *à DEO miſſi eſtis.* (*e*) Audite Principes: *Miniſtri Regni eſtis*: (*f*) Vicarij DEI, hinc dixit: *Dij eſtis.* (*g*) Eſtis Dij *à DEO Deorum,* (*h*) omnipotens in Regno, ab Omnipotente in cœlo, ab illo poteſtas, virtus ab illo: per ipſum omnia, nihil ſinè ipſo, qui eſt omnia. Id quod non tam dixit, quàm ſcripſit Edvardus IV. Rex Anglorum, cùm divinæ manui velut tribus digitis orbem ſuſpendenti inſcripſit: *Nihil ſinè DEO.* (*i*) Verè nihil: in virtute DEI, corona defenditur, Regnum tenetur. Et hoc ſignificat Iacobi IV. Scotiæ viridis herbarum corona, in medio nomen illud ineffabile *Iehova*, cum lemmate: *in virtute tua.* (*k*) Hebes eſt ille gladius, quem non acuit Altiſſimi virtus: debilis eſt haſta, quam non jacit Omnipotentis dextera: infirmum eſt ſcutum, quod non firmat DEI brachium. David erat *puer.* 1. Reg. 17. v. 33. Philiſtæus *vir erat.* ver: eod: David *minimus* v. 14. Philiſtæus *ſupra ſex cubitos palmum altus.* v. 4. David *debilis paſtor.* v. 15. Philiſtæus *ab adoleſcentia bellator,* v. 33. David *paſtoraliter mitratus.* Philiſtæus *Martialiter galeatus,* v. 6. David ruraliter *tunicatus*: Philiſtæus horribiliter *loricatus,* v. eod. David nixus *baculo*: v. 40. Philiſtæus *gladio* v. 45. David venit *cum funda*: v. 40. Philiſtæus *cum haſta* v. 45. David *in Domino,* Philiſtæus *cum clypeo* v. eod. Et tamen *dedit DEVS Phi-*

c *Dan.* 1. *v.* 37. d *Rom.* 13. *v.* 1. e 1. *Petr.* 2. *v.* 14. f *Sap.* 6. *v.* 5. g *Pſal* 81. *v.* 6. h *Deut.* 10. *v.* 17. i *Maſen. ſpec. Imag. Reg. Angl. f.* 409. *n.* 8. k *Id. Symb. Reg. Scot.*

liſtæum in manu ejus. (*l*) *Miſit* David *manum in peram, tulit lapidem, jecit fundâ, percuſsit Philiſtæum,* infixit *in fronte* lapidem, *cecidit* Philiſtæus *in faciem.* (*m*) David *cucurrit,* ſuper gigantem *ſtetit, ejus gladium tulit, caput præcidit,* (*n*) *dedit cadavera caſtrorum Philiſtijm cœli volatilibus, terræ beſtijs: ut ſciret omnis terra quia DEVS eſt in Iſraël* (*o*) *& noverit Univerſa Eccleſia, quia non in gladio, nec in hâſta ſalvat Dominus.* (*p*) Et hoc eſt, quod voluit Childericus Rex Franciæ ultimus, cùm inter duo lilia pinxit coronam in erecti apice gladij, cum epigraphe: *conſilio firmata DEI* (*q*) ſcilicet non tam ſuſtentat coronam bellicus gladius, quàm Divinus nutus: non tam protegit Regnum Martis impotens ſcutum, quàm omnipotens DEI brachium. In ejus dextera ſunt mundi Regna: ab ejus potentia pendent omnia. Hinc Rudolphi ſuſpirium, Boream inter & Lunam Turcicam medium: Wie Gott will. (*r*) Suſpendo hanc Theſim ſupra Regum thronos & Cæſarum, & appendo pium Rudolphi hieroglyphicum: Eſt Aquila ſolem aſpiciens, ad ſolem aſpirans, inſcriptio: *à Domino regnum venit Imperiique poteſtas.* (*s*)

THESIS XV.

INFLUXUM IN CREATURAS IMMEDIATUM DEUS à SE TRANSFERRE NON POTEST.

Nà

l *v. 46.* m *v. 49.* n *v. 51.* o *v. 46.* p *v. 47.* q *Maſ. ſpec. Imag. Reg. Gall.* r *idem in Symb. Caſ.* s *idem ibid.*

Nè tradat Princeps totam poteſtatem Miniſtris,

INfluxum abdicet DEUS, non erit DEUS: abdicet poteſtatem Princeps, non erit Princeps. Miniſter pendeat à Principe, non Princeps à Miniſtro, niſi Dominum velit. Ideo Princeps eſt, ut regat. Rex eſt qui dat Imperia, non quem veſtit diadema; admiſit Rex imperantem? Regem admiſit, omnia Regni munia Miniſtris conferre, eſt ſibi propè Dominos deligere. Orientes ſoles, ſunt plenæ poteſtatis Miniſtri: Timete Principes! nè, dum plures Orientes ſoles adorant, vos occidatis. Vos, & Regnum plenè Miniſtris commiſiſtis? vos cum Regno vendidiſtis, amiſiſtis. Neſcio, an non hoc ipſum experientiâ Magiſtrâ didicerit, quod poſtea dixit Diocletianus: (a) *Nihil eſt difficilius, quàm bene imperare. Colligunt ſe quatuor aut quinque, atque unum conſilium ad capiendum Imperatorem capiunt; dicunt quid probandum ſit; Imperator qui domi clauſus, vera non novit, cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur: facit judices, quos non oportet: removet à Rep: quos deberet retinere, quid multa? bonus, optimus, venditur Imperator.* Hæc Diocletianus. Venditur & perditur, dum à poteſtatis plenæ Miniſtris liberè luditur. Habent organum Pſeudo-Politici: in hoc ludunt Miniſtri, pauſante à Regni munijs Principe. Organum hoc depinxit Anonymus, & fiſtularum indices, hoc eſt, Regiſtra ponit, quæ apponimus: (b) *Deglubere,*

a *Vopiſc. in Dioclet:* b *Apud Balbin; in vita Arneſti l. 2. in notis ad c. 11.*

mutuant, oportet habere, altum dominium, hunc audite, ſic placet, ſanguinis doſis, adigantur, non audent, non capiunt, una cervix, vis non vobis, compelle, ipſi viderint, intereſſe, aurum è ſtercore, amicitia. Hiſtrionum Fortuna, ſummum jus, diſsidiorum ſemina, vexare columbas. Princeps non habet legem, ad terram, reus Majeſtatis, exaggeratio, litium tela, edant, ut vivant, fœmineum regimen, regina pecunia, religio prætenſa, divide, interim & ſemper, potuit poteſt, diſcordia concors, ad opes legatio. Quàm multa paucis! *pauca ſapientibus:* intelligent hæc Regiſtra ingenioſi. Timuit hunc luſum Carolus IV. Cæſar immortalis, nè perderetur, influxum ſibi, ſibi poteſtatem reſervavit, non credebat alienæ fidei, alienis oculis nòn videbat, auribus alienis non audiebat. *Imperatorium eſſe multa per ſe agere,* didicerat ab Arneſto. (*c*) Hinc toties Italiam, Galliam, Germaniam ipſe adivit, ubique bella litéſque Principum ſedavit: Bohemiam omnem, civitates & oppida ſæpius ipſe percurrit. (*d*) Adibat Prætorum tribunalia, excitabat tribunal in Pragenſis Arcis porta, ubique miſerorum quereſas audiebat cum inaudita clementia. (*e*) Accidit aliquando, ut ab hora duodecima ad ſolis occaſum uſque, eodem in loco aut foro jejunus Cæſar perſiſteret. (*f*) Diſcere poſſunt ab hoc Principe Principes, à Cæſare Cæſares, agere Principes: agere per ſe multa, nec totam Miniſtris tradere poteſtatem.

THE-

c Dubrav. l. 22. hiſt: Bohem: & in vita Arn: l. 2. d *Hagek 1354. & 1363. Dubrav. l. 22.* e *Philip: Bergomas ad An. 1347.* (f) *Hagek An. 1371.*

THESIS XVI.

DUÆ CAUSÆ TOTALES NON AGUNT TOTALITER.

Vires in mediocritate ſervandæ, nec, niſi pro re extrema, extremè impendendæ.

NUllum *violentum perpetuum*: præ violento durat moderatum, non *altum ſemper urgendum* eſt, nec nimis *premendum littus* eſt, (a) optimè navigat, qui *auream ſibi mediocritatem* aſſociat. (b) *levi Zephyro* temperanda ſunt vela, *nec antenna gravi vento premenda*: intrepidam ratem ducat lenè fluens aura, tuta te medium vehat via. (c) *medium tenuêre beati*: Hoc Icarum monuit Dædalus: *inter utrumque vola*: hoc Phaëtontem Pater Phœbus: *medio tutiſſimus ibis*. (d) non altiùs, non demiſſiùs. Et eſt hìc prudentûm omnium ſenſus, totius prudentiæ nucleus, hinc nunquam ſatis decantatum apophtegma Solonis; *μηδὲν ἄγαν nè quid nimis*. (e) *eſt modus in rebus*, (f) *μέτρον ἄριστον*, ait Cleobulus. (g) Non eſt deſidiæ, eſt prudentiæ conatum attemperare. Sit labor etiam minimus, ſatis eſt, dummodo conſequatur effectus. Artis eſt,

b 4 mo-

a *Hor: 10. l. 2.* b *ibid.* c *Sen: Oedip:* d *Ovid: met: l. 2.* e *Laërt: & Stob: ſerm. 3.* f *Hor:* g *Laërt. & Stob:*

187

moles maximas minimis viribus elevare: prudentiæ eſt modum invenire, minimis viribus maximum negotium conficere. Et quid opus, periculoſum Oceani navigare medium, ſi finem aſſequaris eundem, ad littus tenendo curſum? *Iucundiſſima caro eſt, quæ caro non eſt: ſuaviſſimus piſcis eſt, qui piſcis nō eſt: amœniſſima juxta aquam eſt ambulatio: tutiſſima juxta terram eſt navigatio:* Philoxeni fuit opinio. (*h*) Navigâſſet ſic Robertus Malateſta in Veneta Dux Rep: ſ non fecit, altum nimis tenuit, de labore in febrim incidit, de febri cecidit immaturus in ſepulchrum. (*i*) *Qui vult comedere multum, comedat parum*, Italicum eſt adagium, vis multum laborare pro Rep:? parum labora. Vtilior eſt Reip: qui viribus agit maxima minimis, quàm qui minima maximis; ulterioribus ſervat vires, gravioribus differt ætatem. Plus olim poterit ætas debilis cum experientia, quàm incautorum juvenum ætas robuſta. Vbi tamen de ſumma rei agitur, ibi viribus non parcatur. Fervoris ergo attemperatio, vel inflammatio, ſit rei gerendæ urgens magnitudo. Pono poſtremùm aureæ mediocritati ſymbolum, venatoris arcum, & incîdo monitum: *nec placet rigor, nec laxitas*, moderata durant: auream ſerva mediocritatem.

THESIS XVII.

UBI NULLUM EST SUBIECTUM, NIL OPERABITUR CREATURA, ADEOQVE CREARE NON POTEST.

Nul-

h *Eraſm*: *l. 6. apopht.: ex Plut*: i *Sab*: *l. 7. Ex. 10.*

Nullus potiori jure poteſt dicere, ſe eſſe creaturam Principis, quàm qui factus eſt ex nihilo ſubjecti.

SInè ſubjecto non poteſt operari creatura, ſolus DEVS poteſt. Et hæc eſt illa grandis potentia, quâ de nihilo educitur creatura: diſpoſitio non eſt præambula, nec præhabetur materia. Ad *Fiat!* unicum, grandeſcit *nihilum* in *cælum*: (*a*) dureſcit in *Firmamentum*: (*b*) ſpargitur in *lucem* (*c*) igneſcit in *Solem*: (*d*) palleſcit in *Lunam* (*e*) accenditur in *ſtellam*. Ad *fiat!* unicum, flammeſcit *nihilum* in *ignem*: rareſcit in *aërem*: in *aquam* (*f*) funditur: in *terram* (*g*) condenſatur. Ad *Fiat!* unicum, vireſcit *nihilum* in *herbam*: (*h*) ſurgit in *florem*: rameſcit in *arborem*: (*i*) plumeſcit in *volucrem*: (*k*) in *piſcem* ſquammeſcit. (*l*) Hoc DEVS poteſt: ſolus nihili Dominus eſt, quidquid extra DEVM eſt, *ad aliquid* de *nihilo* DEI manu protractum eſt: ſic, ut hæc ipſa Magni Creatoris gloria ſumme ſit nota vilitatis in creatura. Si magnus DEVS poſſet umbram ſpargere: vocarem hanc umbram mundi Principes, DEOS umbratiles, DEOS terreſtres, de quibus illud: *ego dixi: Dij eſtis* (*m*) habent & ipſi umbratilem quandam creandi

a *Gen: 1. v. 1.* b *16. v. 6. 7.* c *ib. v. 3.* d *ib. v. 14. 16.* e *ib: v. eod:* f *ib: v. 10.* g *ib: v. 1.* h *ib: v. 12.* i *ib: v. eod.* k *ib. v. 21.* l. *ib: v. eod:* m *Ioan. 10. v. 17.*

potentiam: quales Dij, tales Creatores. Extrahunt de nihilo capacis ſubjecti Miniſtros ad munia: per *Fiat!* unicum, dant capacitatem, quam non habent ex ſe ſubjecta. Et hoc quidem quàm grande eſt Regalis potentiæ argumentum, tam ingens in te, qui ſic crearis, eſt dedecoris incrementum. Minùs ignominiosè latuiſſes in privato, quàm fulgeas in publico: es elevatus, ſuſpiceris ab omnibus: at quod in te aſpicitur, tuum non eſt, Principis eſt. Principis in te adoratur poteſtas, non tua dignitas. Statua Nabuchodonoſoris es: ad quam vel ipſi pueri dicent ſaltèm in corde: *non adoramus*: (*n*) etiam dum te adorant, profundiſſimè reclinato corpore. Hoc ſcilicet habet omnis creatura: in illa ſummè adorata Creatoris potentia, eſt ſumma creaturæ deſpicientia.

THESIS XVIII.

BONITAS FINIS COGNITA, NON IPSA COGNITIO CAUSAT AMOREM & EXECUTIONEM.

Videndum an bonitas finis tuo digna ſit affectu.

HAbebat in ſymbolo Matthæus Urſinus de monte Iordano Pater Purpuratus, ſtellam & circinum, pyxidem nauticam, & librum Rationum, inſcriptio: *aſſi-*

n *Dan. 3. v. 18.*

aſpicit unam, (*a*) ſcilicet nauta Cynoſuram in cœlo: Geometra centrum in circulo: Chronoſcopus pyxidem in Oceano: Creditor Rationum ſyngrapham in libro: Prudens omnis finem in facto, hinc tritum illud: *Quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.* Nauta juxta ſtellam curſum dirigit: prudens media ſecundùm finem diſponit. (*b*) Operis perfecti ſummam, indicabant veteres per puppim & proram, dat Tullius rationem, quòd à prora dependeat tota navis ad puppim, ùt opus à capite ad calcem. Conſideranda ſunt finis & media; finis an medijs, media an fini ſint reſponſura. *Prudentis eſt proſpicere, nè frequenter eum pœniteat ſui:* gnoma prudens eſt Ambroſij. (*c*) Binas habet excellentiores comites Prudentia: *Rationem cum Providentia.* Hæc pertinet ad futura: reſpicit finem, & introſpicit, an bonitas digna ſit, ad quam tanta media dirigit, quid piſcari velit, advertit: nè hamum aureum ad vilem jaciat piſciculum. Ratio unum ex alio colligit, finem cum medijs, cum fine media componit. Quod eſt corpori oculus, hoc eſt animæ Ratio & Intellectus. (*d*) *Sapientis oculi in capite ejus,* dicit Regum ſapientiſſimus, (*e*) quid vocat caput? quod Princeps eſt in opere, hoc caput vocat, hinc Salomonæum axioma ſic illuſtrat Cajetanus: (*f*) oculi ſapientis in capite, ſapientis oculi caput vident, id eſt operis principium, quod finis eſt, hunc proſpicit ſapiens, & congrua quæ finem ſequuntur, media: in quo potiſſimùm elucet prudentia. Stultus oculos habet

a *Maſ. ſpec. Imag. ſymb: Card:* b *vide Sen: epiſ. 95.* c *ep. 82.* d *Chryſ: in c. 6. Matth.* e *Eccl. 2. 4.* f *in c. 2.*

bet in pedibus: caput operis non videt in capite cæcus; opus peregit? videt in pedibus, & ſerò pœnitet ſtultus. In capite videndum, an tantum ſit in fine pretium, quod mereatur medium tam pretioſum. Amphiſbænam imitatur Prudentia: animal eſt, quod habet caput in fronte, caput in cauda, inſcriptum legi lemma *caput in fine*. (g) Finem oculatior Argo proſpice, nè, ſi montes parturire videntur in medio, tandem ridiculus naſcatur muſculus in fine.

THESIS XIX.

UNUM CORPUS DUOBUS LOCIS SIMUL CIRCUMSCRIBI NON POTEST.

Non plus capiendum à Duce, quàm tueri valeat.

ULtra vires audendum nihil eſt: viribus commenſurandi ſunt auſus. Docet hoc de arrogantis Lunæ caſu vetus fabula. Sub Titanis nomine cogitabat Orbis Dominam agere, ut ſibi compararet ſubſidium, ſiderum conſcripſit exercitum, at cum ſideribus à Sole victa, ad tenebras æternas damnata didicit; *ſupra vires nihil aggrediendum*. (a) Vltra vires non aude: plus nè capias, quàm poſſis defendere. Poſt tergum quidem relinquendus hoſtis non eſt; mul-

g *Maſ: ſpec: Imag: 655. 21.*
a *Maſ: ſpec. l. 2. c. 10.*

multas tamen munitiones capere, polemicæ ſæpe prudentiæ diſſonum eſt. Præſidijs inſtrui volunt Caſtella, alioquin demolienda: vires enim in diverſa diſtractæ, hoſti collecto rarò reſtitêre. Munitio ſine bono præſidio eſt hoſti ſolatium, non terriculamentum. Nec ibi copiæ deſtinari videntur ad victoriam, ſed ad lanienam. Multa Caſtella, multi milites: multi milites, multum annonæ: multum annonæ, multum pecuniæ. Nequit hoc diuturnum eſſe: tam igitur facilè eripi poſſunt Caſtella, quàm acquiri. Quàm timeo nè accidat tali Polemarcho, quod illi ruſtico, de quo Mythologus in commento. Deferebat in Vrbem gallinas in curru, obſervavit hoc vulpes, init cum lupo conſiliũ, quâ fallere poſſent Colonum. Iubet lupum captâ opportunitate equum invadere. In via quâ fertur ruſticus, decumbit illa velut mortua: mortuã, ùt credebat, Ruſticus arripit, in currum velut optatam ſibi prædam injicit. Gallinis propinqua vulpes ijs captis ſe ſubduxit, hanc cùm inſequitur Ruſticus, adoritur equum in curru lupus. Miſer auriga! *dum utrique ſubvenire contendit, utrumque amittit.* Diſtrahat in Caſtella vires Polemarchus, omnibus ſubvenire ſolicitus: timeo, nè dum tenere nititur omnia, retineat nihil ex omnibus. Viribus commenſuret onera: plus non imponat humeris, quàm humerorum patiatur potentia. Conſulat picturam Hippolyti Eiſtenſis unius è Purpuratis: eſt Camelus, qui ſubmiſſus ſpontè non aſſurgit ad onus, ſi vires advertit ſuperare ferentis, inſcriptio: *non plus tollo, quàm ſim ferendo:* (a)

b *Maſen. in ſymb. Cardinal.*

THESIS XX.

INFINITUM PRIVATIVUM IN POTENTIA NON AUTEM ACTV EST POSSIBILE.

Non omnis potentia in actum reducenda.

POtes multa? cave exequaris omnia, eſt ſuperbia. Poterat Milo etiam quercus divellere, fecit, divulſa quercus reſiliens ſuperbam illi animam excuſſit. (*a*) *Ignoras multa?* potes inquirere: cave inquiras omnia: eſt curioſi infamis nota. Non eſt porticus, non officina, non fori pars, quæ curioſi non ſit via: Aures obtundit quæſtionibus, animos interrogationibus: audientium faſtidio, temporis diſpendio. Curioſitati, ùt equo frementi, frenum injice, frenatam in gyro moderationis contine. Rogatus ab Afro Magnus Auguſtinus, quid ante mundi creationem putet feciſſe DEVM? Reſpondit: *curioſis paravit infernum. Scis multa?* potes effutire, cave effutias omnia: eſt ſtultitia. Et hinc de garruli Anaximenis oratione THeocritus: *habet verborum flumen, ſed mentis guttam,* hinc M. Cato ambienti garrulo inter Catonis familiares recipi negavit, inquiens: *non poſſum cum eo vivere, qui plus ſapit palato, quàm corde.* (*c*) hinc Lacon ille,

a *Iuvena: Sat: 10.* b *Suidas.* c *Eraſm: l. 3. apopht:*

le, cùm revulſis in luſcinia plumis vix aliquid reperiſſet de cerebro, clamavit: *vox es luſcinia, nihil præterea.* (*d*) Denique ſapientiſſimi Solonis eſt gnoma: *ſtultus tacere non poteſt: loquacitas nimia ſtultitiæ nuntia.* (*e*) Eſto ergo ùt pauci, Philologus: non ùt multi, Legophilus. *Audis multa?* potes credere. cave credas omnia: eſt levitas graviſſima. Domitianus aures dederat aſſentatoribus, credebat omnibus: ipſi Cauſidici poſthabitis cauſarum exactionibus, ſe dedêre delationibus. (*f*) Cæſar leviſſimus ſuæ levitatis vitio, erat toti gravis Imperio. Raro crede: loquantur etiam tibi *prudentes ſicut ſerpentes.* (*g*) Serpens credulam Evam perdidit, (*h*) etiam in ſerpentis prudentia poteſt eſſe fallacia. *Habes multa?* potes dare, cave des omnia: prodigalitas eſt turpiſſima, non eſto pertuſum dolium, quod aquam non tenet, quia fundo vitioſum. Simile dolium Eques erat in Arragonia, petenti ſubinde munus, reſpondit Alphonſus: *ſi pergam tibi dare quod petis, effecero me priùs pauperem, quàm te divitem.* (*i*) Denique *vides multa?* potes judicare, cave judices omnia: temeritas eſt planè abominanda. *Solus Deus poteſt in judicando non labi, qui ſolus in cognoſcendo non poteſt falli.* (*k*) Apellem cogita: time, nè prorumpat & clamet: *Sutor! ne ultra crepidam.* (*l*) Stratonicum cogita: cave, nè tibi ſuum illud occinat: *Supra malleum loque-*

d *Plut: in Lacon: apoh:* e *Brus: l. 3. c. 25.*
f *Alex: ab Alex: l. 4.* g *Matth. 10. v. 16.*
h *Gen. 3.* i *Panorm: de rebus geſt: Alph: l. 0.*
k *Aug: Ep: 24.* l *Brus: l. 10. c. 10.*

quæris, mi Faber. Et hæc prudentis Ethici ſunt monita, redigo in compendium, & pono in hac

PRUDENTIÆ TABULA.

Noli facere omnia, quæ potes, quia ſuperbia eſt.

Noli inquirere omnia, quæ neſcis, quia curioſitas eſt.

Noli dicere omnia, quæ ſcis, quia ſtultitia eſt.

Noli credere omnia, quæ audis, quia levitas eſt.

Noli dare omnia, quæ habes, quia prodigalitas eſt.

Noli judicare omnia, quæ vides, quia temeritas eſt.

THESIS XXI.

IN CONTINUO LICET NON SINT PARTES ACTU, IN POTENTIA TAMEN SVNT INFINITAE.

Potens eſt ille Princeps, qui multos milites habet actu, plures potentiâ.

Exer-

EXercitus in potentia eſt argenti & auri copia. Prudens Imperator plures nititur habere milites in marſupio, quàm ſtantes in campo. Metuit hoſtis magìs exercitum, quem non videt, quàm quem videt. non oſtendit omnia quæ ſcit Magiſter Diſcipulo, nec Princeps, quæ poteſt inimico. Maneat ſuſpecta potentia: non exhauriantur in militem penitus æraria. Cædetur Exercitus? ſi datur in ærario vacuum, cæſa ſpes eſt, cæſum ſolatium. Improvidi ſemel Romani tantum impenderunt in Exercitum, ut præter aurum, quod erat in bullis, cingulis, & annulis, reſtaret nullum, trepidabat Vrbs tota: uni jactui commiſerat fortunam: Vires omnes uno erant in Exercitu: jacuiſſet Roma, ſi cecidiſſet Exercitum novercans Fortuna. (a) Prudentes Principes uni jactui vires non credunt omnes. Res & ſpes in ærario relinquunt ſuperſtites. Si urgeantur periculo, de potentia in actum producturi militem pro præſidio. Sic breviſſimo tempore ſeptingenta militum millia conſcripſit adversùs Scythas Darius. (b) Sic trecenta millia adversùs Crotroniatas, Sybaritarum Archi-ſtrategus. (c) Sic duorum menſium ſpatio, Znoymæ in Moravia, viginti tria millia VValdſteinius. (d) Dixit ſervus de Domino ænigmaticè: *multa ſub tegulis latent noctua*, quòd is tetradrachmas, imagine noctuæ inſignitas, domi ſui condidiſſet. (e) Elegans metaphora! ùt obſcuro ſub tegulis loco noctua, ſic Domini latebat pe-

a *Flor. l. 1. c. 6.* b *Oroſius l. 8. c. 1.* c *Diod: l. 12.* d *Car: Caraffa Com: de Germ: p. 125.* e *Maſ: ſpec: l. 6. c. 13.*

pecunia. Noctua Palladis avis eſt; (*f*) Pallas armata belli Præſes eſt. (*g*) Felix Princeps! qui tales noctuas habet ſub tegulis, hoc eſt, latentes in ærarijs, quas ſi urget periculum, producat in publicum, & Palladi copioſius addat ſatellitium.

THESIS XXII.

NULLA CREATURA POTEST ESSE SINE INITIO, ADEOQVE NEC AB AETERNO.

Ab initio dependent omnia: initia non neglige, licèt parva.

PRincipium *quantitate eſt minimum: poteſtate maximum:* Ariſtotelicum eſt oraculum. (*a*)

Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quáſq; vehit, multas accipit amnis aquas.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas,
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit. (*b*)

Non neglige Minimi principium: quidquid inde ſequitur, eſt maximum, ſeu damnum, ſeu lucrum. Ab initio dependent omnia, obſerva rerum initia quantumvis minima. Error in principio parvus, progreſſu fit magnus, in fine maximus. Quantillum viarum dua-

f *idem Pala: ligat: Ort: l. 1. c. 21.* g *idem ibid.*

a *Elench. 2.* b *Ovid. l. 2. de Arte.*

duarum divortium: ſenſim tamen protrahitur, & in grande dilatatur intervallum. Diſtabant tribus palmis in exordio, diſtabunt trecentis leucis vel in medio. Quantus error! quantilla origo! invigila initio, à quo tanquam à fundamento tota pendet educatio. Recentia vaſa ſunt adoleſcentûm corda: quo primùm fuerint odore imbuta, ſervabunt odorem in longa tempora. Scivit hoc Ludovicus Rex Franciæ, nunquam ſe dabat quieti, quin antè vocatis ad ſe Filijs, facta dictáque Principum proponeret, laudabilia, ut proſequerentur: nefaria, ut averſarentur. (c) *Multum eſt à teneris aſſueſcere.* (d) Si unquam oſtendit educatio, quàm ſit fortis morum ingeneratio; certè demonſtravit in geminis Fratribus VVenceslao & Boleslao; (e) illum educavit Ludmilla, pietatis domeſtica: huncDrahomira impietatis ſocia; ille evaſit Pius, hic impius: ille mitis, hic crudelis: ille humanus, hic immanis. Quid non fecit impius Boleslaus? quod erubeſceret ipſa Impudentia, hoc fecit: Ingreſſus Drahomiræ veſtigia, (cujus manu ceciderat cum multis Ludmilla) VVenceslaum fratrem proprium interemit, humana Divinaque jura violavit. At non manſit impunita Drahomiræ nutricis inſtitutio nefaria, nec Boleslai fratricidium, & ſacrilegia: Drahomiram abſorpſit cum rheda dehiſcens terra; Boleslaum confudit ipſe ſanguis fraternus, qui liquore nullo ablui poteſt, in parietem ſparſus, nefariæ cædis teſtis æternus. Sic ſcilicet conſentiunt principijs exitus, primis extrema. Ab initio dependent omnia:

non

c *Ionvil. in ejus vita c. 87.* d *Virg:* e *Dubrav: l. 4. & 5. Hiſt. Bohem:*

non neglige exordium, ſi felicem exoptas epilogum.

THESIS XXII.

CORRUPTIO UNIUS SEMPER EST GENERATIO ALTERIUS, ET VICE VERSA.

Imperij unius interitus, alterius eſt ortus.

LUdovicus XII. Craterem, cœleſte ſignum, habuit in Symbolum: inſcriptio: *Inter eclipſes exorior.* Nimirum Rex, Hærede Regni Carolo per mortem ſublato, velut eclipſato Sole, ad lucem Regni ſe pervenire gloriatur, ùt ſtella apparens in eclipſi. (*a*) Hoc ego Imperijs applico. Exoriuntur Imperia, quia eclipſantur vicina; exurgunt nova, quia cadunt antiqua; horum ruina, illorum ſunt incrementa. Naves ſunt Imperia, Principes ſedent ad clavum Naucleri: pereuntium naufragia navium, relinquunt tabulas pro nova. Phœnices ſunt Imperia: comburitur Phœnix, ſed non moritur; de morientis cinere novus exoritur. (*b*) Comburitur Troja, Vrbs illa Vrbium pulcherrima, & Trojanum Imperium abit in fumum, ſed ecce novi ex conflagrantis cinere Phœnices! Trojanorum reliquiæ manet Pius Æneas? *Cecidit ſuperbum Ilium,* (*c*) Æneas tam

a *Maſen: ſpec: Sym: Reg:* b *Plin: l. 10. natu hiſt: c. 2.* c *Virg: Æn: 3. v. 2.*

tam grandi caſu territus ſurrexit, aufugit, venit in Macedoniam, inde in Siciliam, à Sicilia tenuit agrum Laurentem, cui novæ Trojæ nomen indidit. Condidit deinde Lavinium, pòſt Albam Græcam, tandem ſupremum mundi caput Romam. (*d*) O Roma! grande Imperium! ecce! præluxerunt tibi ignes Trojani, fatales Trojæ, vitales tibi. Trojanus ignis, fuit accenſus ille Phoſphorus, qui Romani ſereniſſimum diem Imperij annuntiavit. Scilicet luctuoſum funus unius Imperij, gaudioſus natalis eſt alteri. Appingo Imperio ex alterius ruina nato apes ex bove mortuo, cum epigraphe: *Aliena funere vitam.* (*e*)

THESIS XXIV.

IN GENERATIONE SUBSTANTIALI OMNIA PRIORA ACCIDENTIA PEREVNT, SED PRAETER AGENTIS INTENTIONEM.

Nemo directè lædendus.

HOc voluit penicillus Alciati, cùm picto Regis apum ſchemate ſuaſit clementiam Principi. (*a*) Quàm ſecurus Princeps eſt, cui aculeus noxius non eſt! Qui temperat Imperium clementiâ, huic omnia videntur candida, æquior illi hoſtis, quàm

d *Livius l. 1. dec: 1.* e *Plin: nat: hiſt:*
a *Embl: 141.*

quàm alteri civis. Cujus voto, cujus calamo non donatur cœlo? Beatus Princeps! Patrem ſe ſuis præbet: tot ſortitur filios, quot ſubditos. Poteſt in armatis eorum manibus, etiam inermis, dormire ſecurus, more filiorum, cingitur coronâ ſuorum: ùt filijs dat Imperia, accipit ùt à filijs obſequia. Moritur? quid auditur? ô quàm amabilis Princeps? imperavit ùt Pater, mortuus eſt ùt Pater, deſideratur ùt Pater. Vt cubet molliter, filiorum lacrymis inſepelitur ſuaviter. Mortuus eſt, & tegitur monumento: non mortuus eſt, vivit æternùm in ſuorum animo, habet epigraphen in tumulo; *Hoc ſolùm peccavit hic Princeps, quòd mortuus ſit.* Tales Principes fuerunt, & ſunt Auſtriæ Principes. Imbibunt cum lacte clementiam à Rudolpho Habſpurgico, Cæſare Clementiſſimo, quaſi hæreditariè ad ſe derivatam. Erat Rudolphus clemens totus, ipſa clementia. *Supplicibus ſemper pepercit, abjectos ſemper ſervavit, delictorum veniam, modò peteretur, ſemper conceſſit.* (*b*) Duo tamen moneo, *primum*: non ſit clementia ſinè comite Iuſtitia; non ſit benevolentia ſinè ſeveritate pediſſequâ; Sceptri parcentis ſocius ſit, vindicans gladius; diſciplinæ nervus intendi debet, non relaxari. Relevat Princeps? etiam premat; ungit? etiam pungat; refrigerat? etiam urat; temperamentum Clementiæ ſit Iuſtitia, Iuſtitiæ Clementia. *Alterum*: induat Princeps clementem humanitatem, ſed non exuat Majeſtatem. In Rege apum, qui erat Exordium, facio Epilogum. Pingo illum coronatum in duplici circumvolantium

b *Æn: Sylv: l. 2. de Geſtis Alph:*

tium apum corona. Adſcribo lemma; *Maieſtate, non aculeo.* (c)

THESIS XXV.

CONVERSIVA MUTATIO REQUIRIT NOVI TERMINI PRODVCTIONEM.

In Republica non inchoanda mutatio, quàm de Succeſſore provideatur.

A Natura docemur providentiam: non ſinit unquam perire formam, quin in illius vicem provideat aliam. Etiam ineptus Miniſter tolerandus eſt in Regno, ſi notabilem inductura videatur hiatum ejus amotio. Totam molem ſtare feciſti, ſi totam vel unicam ſuſtuliſti. Nec defectus quilibet ponderoſa ſatis eſt ratio, quam ſequatur delinquentis Miniſtri rejectio. Fortè ſubſtitutus offendet in pluribus. Revocare priorem non erit conſultum; inſtabit inſolentiæ periculum; timeri poterit vindicta eò deterior, quò occultior. Taceo quod huiuſmodi revocatio, publica ſit erroris confeſſio, non ſinè pœnitenda auctoritatis jactura. Laudabilis eſt in Miniſtris conſtantia; quos ſemel adhibere conſueris, retinere, fovere memineris. Fateor, indecorum non eſt, ob pravitatem loco moveri Miniſtrum, imò

a *Symb: Ferd: Medices Ducis Hetruriæ.*

imò valde honorificum, ſi dicatur illud: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles* (a) id tamen factitare paſſim, eſt inconſtantiæ nota, quâ viri prudentes, cordati, deterrentur ab aula. Citharœdus chordam advertit diſſonam? non reſcindit furenter, ſed attrahit ſuaviter. Si tamen reſcindere cogitat, ad manum habet aliam, reſcindendæ vicariam. Imitare: nec facilè Miniſtrum in Rep: reſcinde, niſi provideris de Succeſſore. Atlas antè cœlo non ſubtrahat humeros, quàm ſuccedens Hercules ſupponat ſuos. Huc accommodo Philippi II. Symbolum: (b) eſt Hercules cœlum ſuſtinens, Atlas quieſcens. Inſcribo: *Hercules hac otia facit.*

THESIS XXVI.

EADEM QUALITAS SUBJECTUM CAPACIUS MAGIS PERFICIT SEV INTENDIT.

Idem conatus in opportunitate feliciores habet ſucceſſus.

Moribus & temporibus morem gerere, tritiſſimum eſt in ſchola Politicæ. Serviendum eſt tempori, attendendum eſt occaſioni, *fronte capillata* eſt, *retro calva*; poteſt apprehendi frons, non occiput. *Adoranda eſt Echo, cùm flant venti.* Obſervare debet ſiderum influentias non tam Aſtronomus, quàm Politicus. Servit hoc cœlo ſereno,

a. *Iob: 4. 18.* b. *Maſ. Symb: Reg: Hiſp:*

quæris, mi Faber. Et hæc prudentis Ethici ſunt monita, redigo in compendium, & pono in hac

PRUDENTIÆ TABULA.

Noli facere omnia, quæ potes, quia ſuperbia eſt.

Noli inquirere omnia, quæ neſcis, quia curioſitas eſt.

Noli dicere omnia, quæ ſcis, quia ſtultitia eſt.

Noli credere omnia, quæ audis, quia levitas eſt.

Noli dare omnia, quæ habes, quia prodigalitas eſt.

Noli judicare omnia, quæ vides, quia temeritas eſt.

THESIS XXI.

IN CONTINUO LICET NON SINT PARTES ACTU, IN POTENTIA TAMEN SVNT INFINITAE.

Potens eſt ille Princeps, qui multos milites habet actu, plures potentiâ.

Exer-

EXercitus in potentia eſt argenti & auri copia. Prudens Imperator plures nititur habere milites in marſupio, quàm ſtantes in campo. Metuit hoſtis magis exercitum, quem non videt, quàm quem videt. non oſtendit omnia quæ ſcit Magiſter Diſcipulo, nec Princeps, quæ poteſt inimico. Maneat ſuſpecta potentia: non exhauriantur in militem penitus æraria. Cædetur Exercitus? ſi datur in ærario vacuum, cæſa ſpes eſt, cæſum ſolatium. Improvidi ſemel Romani tantum impenderunt in Exercitum, ut præter aurum, quod erat in bullis, cingulis, & annulis, reſtaret nullum, trepidabat Vrbs tota: uni jactui commiſerat fortunam: Vires omnes uno erant in Exercitu: jacuiſſet Roma, ſi cecidiſſet Exercitum novercans Fortuna. (a) Prudentes Principes uni jactui vires non credunt omnes. Res & ſpes in ærario relinquunt ſuperſtites. Si urgeantur periculo, de potentia in actum producturi militem pro præſidio. Sic breviſſimo tempore ſeptingenta militum millia conſcripſit adversùs Scythas Darius. (b) Sic trecenta millia adversùs Crotroniatas, Sybaritarum Archi-ſtrategus. (c) Sic duorum menſium ſpatio, Znoymæ in Moravia, viginti tria millia VValdſteinius. (d) Dixit ſervus de Domino ænigmaticè: *multa ſub tegulis latent noctua*, quòd is tetradrachmas, imagine noctuæ inſignitas, domi ſui condidiſſet. (e) Elegans metaphora! ùt obſcuro ſub tegulis loco noctua, ſic Domini latebat pe-

a *Flor. l. 1. c. 6.* b *Oroſius l. 8. c. 8.* c *Diod:* l. 12. d *Car: Caraffa Com: de Germ: p. 225.* e *Maſ: ſpec: l. 6. c. 13.*

pecunia. Noctua Palladis avis eſt; (*f*) Pallas armata belli Præſes eſt. (*g*) Felix Princeps! qui tales noctuas habet ſub tegulis, hoc eſt, latentes in ærarijs, quas ſi urget periculum, producat in publicum, & Palladi copioſius addat ſatellitium.

THESIS XXII.

NULLA CREATURA POTEST ESSE SINE INITIO, ADEOQVE NEC AB AETERNO.

Ab initio dependent omnia: initia non neglige, licèt parva.

PRincipium quantitate eſt minimum: poteſtate maximum: Ariſtotelicum eſt oraculum. (*a*)

Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quáſq; vehit, multas accipit amnis aquas.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas,
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit. (*b*)

Non neglige Minimi principium: quidquid inde ſequitur, eſt maximum, ſeu damnum, ſeu lucrum. Ab initio dependent omnia, obſerva rerum initia quantumvis minima. Error in principio parvus, progreſſu fit magnus, in fine maximus. Quantillum viarum dua-

f *idem Pala: ligat: Ort: l. 1. c. 21.* g *idem ibid.*

a *Elench. 2.* b *Ovid. l. 2. de Arte.*

duarum divortium: ſenſim tamen protrahitur, & in grande dilatatur intervallum. Diſtabant tribus palmis in exordio, diſtabunt trecentis leucis vel in medio. Quantus error! quantilla origo! invigila initio, à quo tanquam à fundamento tota pendet educatio. Recentia vaſa ſunt adoleſcentûm corda: quo primùm fuerint odore imbuta, ſervabunt odorem in longa tempora. Scivit hoc Ludovicus Rex Franciæ, nunquam ſe dabat quieti, quin antè vocatis ad ſe Filijs, facta dictáque Principum proponeret, laudabilia, ut proſequerentur: nefaria, ut averſarentur. (c) *Multum eſt à teneris aſſueſcere.* (d) Si unquam oſtendit educatio, quàm ſit fortis morum ingeneratio; certè demonſtravit in geminis Fratribus VVenceslao & Boleslao; (e) illum educavit Ludmilla, pietatis domeſtica: huncDrahomira impietatis ſocia; ille evaſit Pius, hic impius: ille mitis, hic crudelis: ille humanus, hic immanis. Quid non fecit impius Boleslaus? quod erubeſceret ipſa Impudentia, hoc fecit: Ingreſſus Drahomiræ veſtigia, (cujus manu ceciderat cum multis Ludmilla) VVenceslaum fratrem proprium interemit, humana Divinaque jura violavit. At non manſit impunita Drahomiræ nutricis inſtitutio nefaria, nec Boleslai fratricidium,& ſacrilegia: Drahomiram abſorpſit cum rheda dehiſcens terra; Boleslaum confudit ipſe ſanguis fraternus, qui liquore nullo ablui poteſt, in parietem ſparſus, nefariæ cædis teſtis æternus. Sic ſcilicet conſentiunt principijs exitus, primis extrema. Ab initio dependent omnia:

non

c *Ienvil. in ejus vita c.* 87. d *Virg:* e *Dubrav: l.* 4. *&* 5. *Hiſt: Bohem:*

non neglige exordium, ſi felicem exoptas epilogum.

THESIS XXII.

CORRUPTIO UNIUS SEMPER EST GENERATIO ALTERIUS, ET VICE VERSA.

Imperij unius interitus, alterius eſt ortus.

Ludovicus XII. Craterem, cœleſte ſignum, habuit in Symbolum: inſcriptio: *Inter eclipſes exorior.* Nimirum Rex, Hærede Regni Carolo per mortem ſublato, velut eclipſato Sole, ad lucem Regni ſe pervenire gloriatur, ùt ſtella apparens in eclipſi. (*a*) Hoc ego Imperijs applico. Exoriuntur Imperia, quia eclipſantur vicina; exurgunt nova, quia cadunt antiqua; horum ruina, illorum ſunt incrementa. Naves ſunt Imperia, Principes ſedent ad clavum Naucleri: pereuntium naufragia navium, relinquunt tabulas pro nova. Phœnices ſunt Imperia: comburitur Phœnix, ſed non moritur; de morientis cinere novus exoritur. (*b*) Comburitur Troja, Vrbs illa Vrbium pulcherrima, & Trojanum Imperium abit in fumum, ſed ecce novi ex conflagrantis cinere Phœnices! Trojanorum reliquiæ manet Pius AEneas? *Cecidit ſuperbum Ilium,* (*c*) AEneas tam

a *Maſen: ſpec: Sym: Reg:* b *Plin: l. 10. natu hiſto: c. 2.* c *Virg: Æn: 3. v. 2.*

tam grandi caſu territus ſurrexit, aufugit, venit in Macedoniam, inde in Siciliam, à Sicilia tenuit agrum Laurentem, cui novæ Trojæ nomen indidit. Condidit deinde Lavinium, pòſt Albam Græcam, tandem ſupremum mundi caput Romam. (d) O Roma! grande Imperium! ecce! præluxerunt tibi ignes Trojani, fatales Trojæ, vitales tibi. Trojanus ignis, fuit accenſus ille Phoſphorus, qui Romani ſereniſſimum diem Imperij annuntiavit. Scilicet luctuoſum funus unius Imperij, gaudioſus natalis eſt alteri. Appingo Imperio ex alterius ruina nato apes ex bove mortuo, cum epigraphe: *Alieno funere vitam.* (e)

THESIS XXIV.

IN GENERATIONE SUBSTANTIALI OMNIA PRIORA ACCIDENTIA PEREVNT, SED PRAETER AGENTIS INTENTIONEM.

Nemo directè lædendus.

HOc voluit penicillus Alciati, cùm picto Regis apum ſchemate ſuaſit clementiam Principi. (a) Quàm ſecurus Princeps eſt, cui aculeus noxius non eſt! Qui temperat Imperium clementiâ, huic omnia videntur candida, æquior illi hoſtis, quàm

d *Livius l. 1. dec. 1.* e *Plin: nat: hiſt:*
a *Embl: 141.*

quàm alteri civis. Cujus voto, cujus calamo non donatur cœlo? Beatus Princeps! Patrem ſe ſuis præbet: tot ſortitur filios, quot ſubditos. Poteſt in armatis eorum manibus, etiam inermis, dormire ſecurus, more filiorum, cingitur coronâ ſuorum: ùt filijs dat Imperia, accipit ùt à filijs obſequia. Moritur? quid auditur? ô quàm amabilis Princeps? imperavit ùt Pater, mortuus eſt ùt Pater, deſideratur ùt Pater. Vt cubet molliter, filiorum lacrymis inſepelitur ſuaviter. Mortuus eſt, & tegitur monumento: non mortuus eſt, vivit æternùm in ſuorum animo, habet epigraphen in tumulo; *Hoc ſolùm peccavit hic Princeps, quòd mortuus ſit.* Tales Principes fuerunt, & ſunt Auſtriæ Principes. Imbibunt cum lacte clementiam à Rudolpho Habſpurgico, Cæſare Clementiſſimo, quaſi hæreditariè ad ſe derivatam. Erat Rudolphus clemens totus, ipſa clementia. *Supplicibus ſemper pepercit, abjectos ſemper ſervavit, delictorum veniam, modò peteretur, ſemper conceſſit.* (b) Duo tamen moneo, *primum*: non ſit clementia ſinè comite Iuſtitia; non ſit benevolentia ſinè ſeveritate pediſſequâ; Sceptri parcentis ſocius ſit, vindicans gladius; diſciplinæ nervus intendi debet, non relaxari. Relevat Princeps? etiam premat; ungit? etiam pungat; refrigerat? etiam urat; temperamentum Clementiæ ſit Iuſtitia, Iuſtitiæ Clementia. *Alterum*: induat Princeps clementem humanitatem, ſed non exuat Majeſtatem. In Rege apum, qui erat Exordium, facio Epilogum. Pingo illum coronatum in duplici circumvolantium

b *Æn: Sylv: l. 2. de Geſtis Alph:*

tium apum corona. Adſcribo lemma; *Majeſtate, non aculeo.* (c)

THESIS XXV.

CONVERSIVA MUTATIO REQUIRIT NOVI TERMINI PRODVCTIONEM.

In Republica non inchoanda mutatio, quàm de Succeſſore provideatur.

A Natura docemur providentiam: non ſinit unquam perire formam, quin in illius vicem provideat aliam. Etiam ineptus Miniſter tolerandus eſt in Regno, ſi notabilem inductura videatur hiatum ejus amotio. Totam molem ſtare feciſti, ſi rotam vel unicam ſuſtuliſti. Nec defectus quilibet ponderoſa ſatis eſt ratio, quam ſequatur delinquentis Miniſtri rejectio. Fortè ſubſtitutus offendet in pluribus. Revocare priorem non erit conſultum; inſtabit inſolentiæ periculum: timeri poterit vindicta eò deterior, quò occultior. Taceo quod huiuſmodi revocatio, publica ſit erroris confeſſio, non ſinè pœnitenda auctoritatis jactura. Laudabilis eſt in Miniſtris conſtantia; quos ſemel adhibere cenſueris, retinere, fovere memineris. Fateor, indecorum non eſt, ob pravitatem loco moveri Miniſtrum, imò

a *Symb: Ferd: Medices Duca Heturia.*

imò valde honorificum, ſi dicatur illud: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles* (a) id tamen factitare paſſim, eſt inconſtantiæ nota, quâ viri prudentes, cordati, deterrentur ab aula. Citharœdus chordam advertit diſſonam? non reſcindit furenter, ſed attrahit ſuaviter. Si tamen reſcindere cogitat, ad manum habet aliam, reſcindendæ vicariam. Imitare: nec facilè Miniſtrum in Rep: reſcinde, niſi provideris de Succeſſore. Atlas antè cœlo non ſubtrahat humeros, quàm ſuccedens Hercules ſupponat ſuos. Huc accommodo Philippi II. Symbolum: (b) eſt Hercules cœlum ſuſtinens, Atlas quieſcens. Inſcribo: *Hercules hac otia facit.*

THESIS XXVI.

EADEM QUALITAS SUBJECTUM CAPACIUS MAGIS PERFICIT SEU INTENDIT.

Idem conatus in opportunitate feliciores habet ſucceſſus.

Moribus & temporibus morem gerere, tritiſſimum eſt in ſchola Politicæ, Serviendum eſt tempori, attendendum eſt occaſioni, *fronte capillata* eſt, *retro calva*; poteſt apprehendi frons, non occiput. *Adoranda eſt Echo, cùm flant venti.* Obſervare debet ſiderum influentias non tam Aſtronomus, quàm Politicus. Servit hoc cœlo ſereno,

a. *Iob: 4. 18.* b *Maſ. Symb: Reg: Hiſp:*

reno, non ità nubilo: illud nubilo, non ità ſereno. *Humanarum actionum anima, eſt occaſio:* Agere vis cum Principe? ΓΝΩΘΙ ΚΑΙΡΟΝ, *tempus noſce.* (a) aut, ùt habet Romana vox; *veni in tempore.* Produnt hiſtoriæ, indulgentiſſimum fuiſſe Veſpaſianum id temporis, quo tranſibat in balneum, aut in triclinium; petituri ſua domeſtici, id unicum obſervârunt momentum. (b) Nota, ſi Princeps eſt remiſſior, ſi hilarior, ſi indulgentior; tum accede, loquere, pete. Horologium attende, quod ſonat ſuo tempore. Inſcribo: *eſt tempus tacendi, & tempus loquendi.* (c) At non tam Politico, quàm Polemico ſervit occaſio. Vires minimæ, majores ſunt in occaſione, quàm aliàs maximæ. A Pyrrho provocatus in campum Antigonus dixit: *Mea militia non tam eſt armorum, quàm temporum: Si Pyrrhum cepit ſua vitæ tadium, multas habet vias ad interitum* (d) Opportunitas, eſt ſpiritus militiæ: militem animat, ferrum reddit ſe ipſo acutius, ſcutum ſe ipſo fortius. Hic ſpiritus fecit *Romanos rerum Dominos*: omnium aucupabantur occaſiones Regnorum, & *ſedendo* (ut quidam ait) *Orbis Imperium fecerunt ſuum.* (e) Inſpiciat Polemicus quod pinxit Dux Ferrariæ Alphonſus I. (f) Eſt globus incendiarius diſſolutus. Inſcriptio; *Au lieu & temps.* h. e. *Loco & tempore.*

a *Celeberrima gnome Pittaci unius è VII. Sap: Graciæ.* b *Suet: in Veſp:* c *Symbol: Anton: de Burgund: Eccl: 3. v. 7* d *Plutar: in Pyrrho.* e *Florus.* f *primus horum globorum ante Ravennam inventor.*

THESIS XXVII.

IN INTENSIONE, UTI & IN AUGMENTATIONE, DANTUR MORVLAE.

Requies alterna labori.

Quod caret alternâ requie durabile non eſt. Sinè morulis, non movetur natura; nec ſinè quiete, Politica: *Requies alterna labori.* Laborem ſequitur à tergo quies: quietis premit veſtigia labor comes. Hic vires infirmat: illa firmat, ut infirmentur. Hic deprimit: elevat illa ut deprimantur. Hic deperdit: illa reſtaurat ut deperdantur. Amœbœa canunt Labor & Quies: Quies pauſa laboris eſt, labor pauſa quietis eſt. Servat labor quietem, quies laborem. Sinè quiete labor rumpit, ſinè labore quies corrumpit. Nominatus ab Africa Scipio intercidebat ſubinde munia Reipub:, & ſecretus à communi cœtu, quieſcebat in ſolitudine tanquam in portu. (a) Arcus (Dianæ Venatricis arma) eſt hominis anima:

Arcus, & arma tua, tibi ſint imitanda Diana,
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit. (b)

Neceſſaria quies eſt, ſervandum tamen in quiete decorum eſt. Non ſalta ſcurriliter cum

a *Plato apud Cic: l. 3. offic: à princ.* b *Ovid: Ep: 4.*

cum Philippo Macedone; nec ineptè cantu cum Caligula Cæſare; nec ridiculè currum agita cum Nerone. (e) Laxamenta quæ Princeps admittit, honeſta ſint. Non ſuppleat feriarum laxamenta curarum, contentione vitiorum. Erubeſcat ad inhoneſti nomen, ùt Cæſar Maximilianus: arbitretur indignum Principe, quidquid meritum ruborem poteſt incutere. Inter laxamenta, non debent numerari ſcelera, fatigant, non recreant: cruciant, non exhilarant, nec liberas concedunt noctes, nec placidos dies, in ipſa quiete mentem inquietant, ſemper anxiam, nunquam ſecuram. Finio cum AEgyptio quietis hieroglyphico: equum pingo paſcentem in prato; adſcribo lemma: *Requies alterna labori.*

THESIS XXVIII.

QUANTITAS EADEM MAJUS SPATIUM OCCUPARE POTEST SINE ACCESSV NOVAE QVANTITATIS.

Exercitus bene ordinatus, cum minoribus copijs tantus eſt, quantus malè diſpoſitus, cum majoribus,

EXercitus ſinè ordine, corpus eſt ſinè capite: non tam exercitus, quàm mon-

e *Sabell: l. 4. Enn: 7. Sueton: in Ner: & Cal.*

ſtrum exercitûs. Hinc tanta Veteribus cura fuit ordinis: Qui turbârat ordinem, ſecuri percutiebatur. (*a*) Quantos non exercitus perdidit ordo perturbatus? docuerunt hoc Xerxes in Græcia, (*b*) Cimbri, & Tevtones in Italia, (*c*) Syphax in Africa, (*d*) Antiochus, Mithridates, Tigranes in Aſia. (*e*) *Ordo maximum in acie momentum eſt*, ait Lipſius, (*f*) ab hoc momento militum pendet ſalus, dependet interitus. Leonidæ Spartani milites, erant ſexcenti: quàm levis exercitus! Xerxis, ſexcenta millia; quàm grandis exercitus! & tamen animati ordine ſexcenti, ſexcenta millia vix non ad unum exanimârunt. (*g*) Habet Phormio naves triginta, hoſtis quinquaginta, in quinarios ordines Phormio diſponit ſuas: hoſtis nimiùm alacer ſuas ſinè ordine diſpergit. Phormio facit in illas impetum; has mergit, has capit, has fugat. (*h*) Tantum poteſt virtus ordinata! attendendus eſt non tam numerus, quàm ordo. Viverent tres Tauri Aphthonij in ſolitudine, etiamnum fruſtrà impeterentur à Leone, ſi non conſiſi numero turbâſſent ordinem, quo erant uniti. (*i*) Ordinis defectus, eſt certus rerum interitus, non tam in militia, quàm in omni vita. Appono lectiſſimam de ordine ſententiam Gregorij: *Sinè ordine perturbatio & confuſio, in aëre tonitrua, in terra motus, in mari naufragium, in urbibus bella, in domibus diſſidia, in corporibus morbi, in animis peccata.* (*k*) Sinè ordine,

a *Liv. l. 2.* b *Oroſ. l. 2. c. 9.* c *Majol. in Canic. l. 1. c. 23. in memorab:* d *id. ibid:* e *Strabo. l. 11.* f *Civilis doct. l. 5.* g *Oroſ. l. 2. c. 8.* h *Polyan. l. 3.* i *Vide illius Fabul.* k *Orat. 26.*

ne, toti mundo impendet ruina. Spiritus mundi ordo eſt, animat omnia, tenet omnia.

THESIS XXIX.

QUALITATES PER ANTIPERISTASIN CONTRARIAM ROBORANT, IN SIMILEM NON AGVNT.

Heroicus animus in circumſtantibus periculis fortior.

Enceladus ſub Ætna ſepultus, (*a*) vir fortis eſt: obrue heroëm adverſis, velut montibus, ſtabit. Non dico de carne: eſt immortalitatis ſerva, eſt fortunæ ſubdita; de animo loquor; herois animus neſcit caſum, non pertingit ad occaſum. Preme, non opprimes: cæde, non lædes: percute, non excuties: oppugna, non expugnabis. Etiam vulnera, quæ non ferret Agamemnonis lorica, feret intrepidus; gaudebit ſe habere feneſtras, per quas proſpiciat, & exaſperatæ fortunæ minas irrideat. Phoſphorus eſt, qui in medio nebulæ, micat ſerenius; Adamas eſt, qui manet in igne ἀδάμας, hoc eſt indomitus: (*b*) Aquila eſt, quæ in alto ſuſpenſa, deſpicit nubium fulmina, prælia elementorum. Vis talem Heroëm? en Carolum I V. nomine, primum virtute, inter medias bellorum tempeſtates ridet; dicit:

a *Virg: l. 3. Æn:* b *Plin: l. 37. c. 4.*

quò plus periculi, plus gloriæ. Ecce ſtat ad Ingolſtadium in caſtris; tantam majorum globorum ejaculantur grandinem rebelles, ut uno die ſex millia numerentur. *Hic ictibus omnia ſunt pervia, ipſum Cæſaris tentorium.* Cadunt à latere, à tergo cadunt, quid ipſe? locum, nec vultum mutat. Monent amici: parcat ſe ſaltèm omnibus, ſubridet, inquiens: *nunquámne Imperatorum ictu tormenti perijt?* (c) Victos nimirum armis heroës, robur animi Victorum facit Victores. Si pictor eſſem, pingerem Heroi Carolo ferrum ignitum, aquâ merſum, cum lemmate: *Robur dat ignis & aqua*: roborant Carolinum pectus adverſa. Pingerem arcam Noëmi, apponerem lemma: *Surgit ſurgentibus undis.* (d) Aſſurgite heroës! quo arctiùs vos pericula circumvallant, eò altiùs vos erigite. Si poſt mortem defuerint homines, qui vos prædicent, ſurgent mænia, quæ proſtraviſtis: erigent ſe turres, quas dejeciſtis: in veſtras laudes animabuntur hoſtium cineres, quos exanimâſtis.

THESIS XXX.

QUALITAS IN PUNCTO REFLEXIONIS QUIESCIT.

Reflexio ad actiones præteritas, in quiete facienda.

A Natura mores diſce, Moralis Philoſophe! quieſcit natura in reflexionis pun-

c *Lipſ. monit. polit.* d *PP. Belgæ in Imag. Societatis.*

puncto: tu quietus reflexionem inſtitue, tranſacto negotio. Natura moveri deſinit, ut moveatur fortiùs: tu agere ceſſa, & quod egiſti, in quiete conſidera, ut agas circumſpectiùs: quæ oportuiſſet omitti, diſcute: quæ addi, quæ rectiùs fieri, expende. Fecit hoc ocellus Prudentiæ Ignatius, nullum egit negotium, quod non inſpexiſſet, an non meliùs, aut faciliùs fieri potuerit, quàm factum fuerit. (a) *Vita quæ non diſcutitur, cenſenda non eſt homini vitalis.* aureum apophtegma eſt Platonis. (b) Actionem, quæ non examinatur, vix hominis puto. Hoc nos hominem facit exuere, *quòd nemo vitam curet reſpicere; quid facturi ſimus cogitamus, & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus: conſilium autem futuri, venit ex cogitatione præteriti.* (c) Politice! aſcendis ad grandia Reip. munia? relicto portu facis in altum vela. *Eligatur tibi à familia ſtrepitu remotus locus, in quem velut in portum ex multa tempeſtate curarum, te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, ſecreti tranquillitate componas.* (d) Aſcende cum Moyſe Iſraëlitarum Duce ſolus in montem: (e) cum Rege Ieſſæo *deambula in corde tanquam in magna domo.* (f) cum eo verſare, in illo tibi loquere, nec tum audi alium, quàm te ipſum. Fecit hoc Carolus IV. politicæ prudentiæ cor: quotannis vel Carlſteinij procul negotijs quietus, vel in arce Przibramenſi ſolitarius, (g) ità ſibi, ità Proceribus, ità Re-

e 4 gno

a *Ribaden: in vita.* b *Socrat: in Apolog:* c *Sen: l. 12. ep. 84.* d *Hier. ad Celant. l. 2. ep: 21.* e *Exod: 34.* f *Ambr: l. 3. de offic: c. 1.* g *in Vita Arneſti.*

gno toti conſulebat. Nolo te in ſolitudine virentem arborem, cui ſuperſcripſit Petrus Aloyſius Farneſius, Dux Parmæ: *Se ſibi*, (*h*) ſcilicet reſervat, non alijs fert frondes, non fructus. Alijs vivit Princeps, & ſi unquam ſibi, ideo ſibi, ut alijs. Vitem te volo, quæ per annum ſemel ſub terra conditur, ut conſervetur, incido huic viti epigraphen: *dum condor, fœcundor.* (*i*) Condere, ut fœcunderis. Actiones cum Vlyſſe (*k*) conſidera privatus, ut emenderis. Quod Iacobus IV. Scotiæ expreſſit in pictura; tu exprime in Politica, pinxit caput bifrons in columna, inſcripſit: *utrumque*; (*l*) ſcilicet præterita reſpice, futura proſpice: reflectere poſt negotia, expende præterita, & in his emendare diſce futura.

THESIS XXXI.

VITA IN ACTU SECUNDO EST MOTUS, QUO SUBSTANTIA SECVNDVM SVAM NATVRAM MOVET SE IPSAM.

Exercitium eſt vita Politicæ.

POlitica ſinè exercitio, eſt hortus ſinè flore, cœlum ſinè ſole, arbor ſinè fronde, corpus ſinè anima ΜΕΛΕΤΗ ΤΟ ΠΑΝ. *Exercitium omnia.* (*a*) Qui deſiderat eſſe Politicus, à prima ſtatim ætate in exercitio ſit

h *idem 426.* i *idem 520* k *Iulius Camillus f.62.*
l *Maſ: ſpec: ſym: Reg: Scot:*
a *Eraſmus in Adagijs.*

ſit quotidianus. Cum Frederico I I. linguas diſcat; (*b*) Saltu, curſu, equitatu, armis, ſudore corpus induret, interponat literarum ſtudia, nullam diem agat ſinè lectione cum Auguſto, (*c*) ſinè ſcriptione cum Adriano. (*d*) Moralis Philoſophia ſit illius cura, & virtutis ſtudium cum illa. Vita Politico ſit converſatio; ὅμος *ſimul* ſignificat, non ſit Solitarius, ſi vult eſſe homo: Qui converſationem non amat, caret experientiâ; qui hanc non habet, eſt ſinè judicio: qui judicioſus non eſt, homo non eſt, pene beſtia, inutilis in Rep: humana. In converſatione omnium ingenijs ſe diſcat attemperare Politicus. Ac licet politicũ hoc ſtudium ferè degeneret in adulationis vitium, poteſt tamen vitari; nunquid enim *omnibus omnia factus*(*e*) Apoſtolus? fiat omnibus omnia Politicus: non tamen mulierum, non improborũ; niſi inter illas effœminari, apud iſtos autem pœnitere carò emere velit. Ceterùm cum Alcibiade fiat omnibus omnia: hic Athenis induit perſonam Philoſophi & Oratoris: apud Lacedæmonios, viri ſeverioris; apud Thraces bellicoſi: apud Ionios otioſi. (*f*) Politicus ſit inter lætos, hilaris: inter mœrentes, triſtis: gravis, inter maturos: doctus, inter eruditos: tegat eruditionem inter indoctos. Omnes ſibi reddat affectos, etiam infimos; hos vincat benevolentiâ, illos comitate; hos urbanâ compellatione, illos officiorum frequentatione: hos vultûs ſerenitate, illos munerum largitione. Omnium genium noſcat.

b *Sigonius l. 16.* c *Suetonius in Auguſto.* d *Spartianus.* e *1. Cor. 9. 22.* f *Athenæus l. 12. c. 16.*

ſcat, ingenium diſcat! Cum juvenibus eſt ? det aliquid ætati, aliquid indulgeat juventuti. Cum ſenibus? veneretur ætatem. Cum exteris? cum his agat retractiùs; cum conterraneis exporrectiùs. Magis coaleſcunt animi eodem cœlo nati. Et hæc de converſatione & exercitio, quod eſt vita politici, eos ingenij. Exhibeo poſtremùm ſymbolicè Politicum Exercitium, & pingo cum Purpurato Guidone Ferrati *puteum* cum trochlea & ſitulis, quibus hauriatur. Inſcribo lemma: *Motu clarior.* (*b*)

THESIS XXXII.

ANIMA PER POTENTIAS REALITER DISTINCTAS TANQVAM PER INSTRVMENTA OPERATVR.

Nemo ſibi ſufficit.

NIhil eſt tam contemptum, quod non hominis indigi ſit inſtrumentum. Hominis tota potentia ſinè organis eſt mera impotentia. Dei ſolius omnipotentia ſe ipsâ eſt potentia, inſtrumentorum non indiga. Ad ſe cetera ordinata ſunt omnia ab eo, qui fecit omnia. Horologia ſumus, quibus inſcribere poſſumus; *dirigimus & dirigimur,* (*a*) & ideo dirigimur ut dirigamus. Ægrè poteſt eſſe director ſinè horologio, nunquam horo-

b *Maſ: ſpec: ſymb: Card:*
a *Maſ: ſpec: ſymb:*

horologium ſinè directore. Mutuâ nos ope promovemus, nec quidquam eſt tam vile, quo non aliquando egeremus. Indixerat Leo bellum volucribus; aderat dies, perrexit ad pugnam cum animantibus; dixit Vrſus: Generoſe Domine! amabo! quid timidi lepores? quid aſini deſides in bello? ſine ineptos milites: erunt impedimento, non adjumento. Reſpondit Leo: Lepores ſunt celeres, poſſunt agere tabelliones: Aſini elatas habent voces, erunt tubicines. Prudens Apologus! docet nos nihil contemnere; veniet tempus, quo incipiemus egere, &, quod putabamus vile, magni facere. Nemo ſibi ſufficit: plurimis etiam ſubſidijs innixus homo ſæpe deficit. Si vis hujus veritatis picturam, canem pinge claudicantem uno pede; lemma inſcribe: *etiam quaternis* claudicat.

THESIS XXXIII.

SPIRITUALITAS CONSISTIT IN INDEPENDENTIA à QVANTITATE.

Spiritu qui præſtat, magnitudinem non curet.

Magnanimo nihil eſt magnum, aureum eſt Senecæ dictum. (a) Quod Aquila inter volucres, hoc magnanimus inter homines. Inter volucres nihil magnum eſt Aqui-

a *Ep:* 93.

ſe, inter homines magnanimo nihil. Animoſo anguſta eſt omnis magnitudo, etiam orbis, ùt Alexandro. Non loquor de Thraſonibus, qui excreverunt ore ſuper gigantes, decreverunt animo infra pumiliones; illorum animus bullarum magnitudini analogus eſt, ſolo verborum flatu tumidus. Hos non dignor, de illis loquor, quorum dextera melior eſt linguâ: quorum corda, non ora, alunt Leones; de ijs loquor, qui ambulant Alipio paralleli: Alipius vix corpus fuit, tam parvus fuit: *totus anima* fuit, tam magnus fuit. (*b*) Magnitudinis menſura corpus non eſt, ſed anima: Exurgat ſpiritu, qui magnus eſſe vult. Quidquid unquam magnum vidit mundus, elevavit ſpiritus, didicit etiam pumilionem attollere ſupra gigantem. Galeacius Conzaga quantillus? vix non Nanus: Bucialdus Mareſchalcus Caroli VI. Regis Galliæ quantus! vix non gigas, & tamen ſuperior evadit Bucialdo, ſternit gigantem in duello; obſtringit ſe voto Bucialdus, ſe arma non induturum ampliùs, ùt refert Iovius. (*c*) Hoc poteſt ſpiritus, qui non curat, quantus ſit hoſtis, ſed ipſe quàm animoſus. Claudo cum Timantis pictura: eſt Cyclops expreſſus in tabula, poſt Cyclopem Satyri, qui pollicem metiuntur gigantis picti. Elegans inventio! rei magnitudinem, quam oculis ſubjicere non poterat Timantes figurâ, expreſſit arte. Imago rerum eſt, non tam magnarum mole corporis, quàm magnitudine virtutis. Hæc vera magnitudo eſt: Qui hanc exercet, *ingens ſit animo - - in edito ſtat - - verè magnus; non exurgit in plan-*

b *Eunapius in Iamblico.* c *in vita Bajazet:*

plantis, nec ſummis ambulat digitis, eorum more, qui mendaciô ſtaturam adjuvant, longioréſque, quàm ſint, videri volunt: contentus eſt magnitudine ſuâ, quidni contentus eouſque creviſſe, quò manum fortuna non porrigit. (d) Ethicus præſtat ſpiritu, & ideo major eſt, quàm ut ullam curet magnitudinem.

THESIS XXXIV.

OMNE INTELLECTIVUM EO IPSO EST IMMORTALE, ADEOQVE & ANIMA.

Ille Politicus rectè ſapit, qui meminit ſe eſſe immortalem.

SAladinus Sultanus Imperator ex haſta penſile habuit induſium; inſcriptio: *Reſtat ex victoria Orientis.* (a) Hoc habet Politicus ex mundo: induſium, cum quo putreſcit corpus ſub terra: ubi *in domum æternitatis* (b) abiſt immortalis anima. Corpus circulum conficit in tempore, & tandem redit in cinerem ex cinere: abit in æternitatem anima, auſpicatura circulum, nunquam confectura. Quàm tunc aliter ſapiet Politicus! cui nunquam *de tempore* fuit virtus. Inter Politicorum luſus, eſt uſitatiſſimus Dynaſtis, ad annulum contendere haſtiludio. O! contendant omnes ad annulum felicis æternitatis, memores immortalitatis. At

 eheu!

d *Sen: Ep: 3.*

a *Maſ: ſpec: imag: l. 4. c. 9.* b *Eccl: ult: v. 5.*

eheu! quot ſunt Pſeudo Politici, *quorum DEVS venter eſt!* (c) rident Superos, inferos irrident: immortalis anima, eſt illis anilis fabula. Porci, non Politici, de grege Epicuri, quibus ſummum bonum peritura voluptas eſt. (d) Sunt mortales, & erunt mortales æternùm: morientur ſemper, nunquam emorientur. Veniet illa dies, quâ confundet eos Ethnicus Scipio, qui ſic loquitur Tullio: *Vivimus, qui ex corporum vinculis, velut è carcere evolavimus: veſtra autem, quæ dicitur vita, mors eſt.* (e) Tam diu morimur, quam diu vivimus; tum autem vivere incipimus, poſtquam mortui ſumus; ideo vivimus, ut aliquando moriamur, & ideo morimur, ut æternum vivamus. Politice! imprime tuo cordi, quod Maximilianus I. inſculpſit pyramidi: erat in ejus faſtigio Luna deficiens; inſcriptio: *Anima æterna.* Luna deficiens eſt vita moriens: pyramis, virtus eſt, per quam perennamus ſolam, & ſurſum tanquam pyramis ferimur immortales in æternitatem beatam. (f)

THESIS XXXV.

NULLUM INTELLECTIVUM EST MATERIALE, NEC MATERIALE INTELLECTIVVM.

Tantò plus de ratione, quantò minus de ſenſu.

PEr-

c *Philipp:* 3. 19. d *Plin:* l. 7. *hiſt: nat:* c. 55. e *l.* 6. *de Rep:* f. *Maſ: ſtrat: ſymb: Imp:*

PErdo animi cenſus, niſi frenem carcere ſenſus, canit Anonymus. Vnde apud Antiquos, Philoſophi omnem adimebant libertatem ſenſibus, ut ſibi liber vacaret animus. Feneſtræ ſunt ſenſus, per quas in animum inſcendit morbus. Scitè Ambroſius: *Reſpexit oculus, & ſenſum mentis invertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adolevit.* (a) Si fueris ùt Argus in cuſtodia ſenſuum oculatus, perſpiciet viſus, quod monſtret Ratio: percipiet auditus, quod dictet Ratio: libabit guſtus, quàm ſit melleum, quod proponit Ratio: hauriet odoratus quàm ſuave ſit, quod ponit Ratio: oſculabitur tactus ſapientiam, quam ùt ſponſam ſibi copulat Ratio. *Anima fit ſapiens ſedendo*, (b) in quiete, non turbis; inquietant animum ſenſus liberi, qui concitant motus inordinatos animi. Magnam faciunt tempeſtatem multitudines cupiditatum, ſcitum eſt Ambroſij dictum. Si ſapiens eſſe vis, appetitu non abripere, ſoli ſenſuum judicio non innitere. Ipſum corpus fuge, nutrix eſt cupiditatum: corporis fomentum, cura eſt cupiditatum. Quantò minus de corpore, tantò plus de ſpiritûs ſubtilitate. Corporis defectus, eſt animi profectus: corpus proficit? animum obtundit: deficit? acuit. Et hinc aureum illud Gallis proverbium:

Ventre trop gros & trop gras,
Subtil eſprit n' engendre pas.

a *l. de Fuga Sec: c. 1.* b *Platonis axioma.*

THESIS XXXVI.

HABITUS ETIAM IN INTELLECTU DANTUR.

Uſus omnia facilitat.

HAbitantur vaſtæ ſolitudines, & ubi ferarum ſtabula, ſunt Regum palatia. Etiam eliquantur ſaxa, & in rupibus flores leguntur. Ferrum docet ignis molleſcere: malleus chalybem lenteſcere, hoc uſus poteſt; tam durum nihil eſt, quod non emolliat; tam arduum nihil, quod non facilitet.

Certi ſunt domitores ferarum, quæ docent pati jugum: nec aſperitatem excuſsiſſe contenti, mitigant uſque in contubernium. Leonibus Magiſter manum inſertat: oſculatur Tigrim ſuus cuſtos: Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere genu, & ambulare per funem. (a) Etiam canes didicere cum pecunia Bruxellis ad macellum currere, & in orbe vimineo, è collo ſuſpenſo, carnes referre: imo & Lovanio (quovis tutiores bajulo) Bruxellas curſim litteras deferre. (b) Elephantes digladiantur: (c) jaculantur; (d) ingeniculant, Reges adorant: (e) aſſiſtunt Indorum Regi viginti quatuor, & per vices excubias obeunt. (f) Serpentem habuit Tiberius adeò

a *Seneca.* b *Lipſius ep: ad Belgas.* c *Plin: l.8.* d *Strabo.* e *Ariſt: l.9. hiſt: an: c.46.* f *Æl: l. 13. c. 38.*

adeò cicurem, ut de manu ejus cibum ſumeret. (*d*) Quid non uſus poteſt? *quid non vincit conſuetudo? diſcit pica, corvus & pſittacus noſtra verba referre: diſcit ferox leo manſueſcere: diſcit equus habenis parere: diſcent etiam ad vitia propenſi Iuvenes vitia fugere, & ſi diligenter inſtituuntur, virtutes colere.* (*h*) *Conſuetudo eſt ſecunda natura*: Hinc marij Conſulis ad Quirites ſententia: *Mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere conſuetudo vertit in naturam.* (*k*) Hinc *ab aſſuetis non fit paſsio*: ipſi abſynthio videbitur ineſſe dulcedo, videtur hoc ovi, quæ amaro gaudet abſynthio.

Quod malè fers, aſſueſce: feres bene, multa vetuſtas
Leniet - - - - - (*l*)

THESIS XXXVII.

HABITUS INSTAR ALIARUM QUALITATUM, EODEM INSTANTI PELLITVR, QVO ACTVS CONTRARII HABITVS PRODVCTIVVS PRODVCITVR.

Qui ſe non compatiuntur, dividendi, non perdendi.

NEc ſtatim dividendi. Si non impendet gravis mali periculum, videtur ali-

g *Suet: in vita c. 27.* h *Ambroſ: l. 2. de Abel & Cain. 1.* i *Aug: l. 2. de Moſ:* k *Salluſt: in bell: Iugurth:* l *Ovid. 2. de Art:*

aliquomodo diſſimulandum. AEmulatio virtutis cos eſt: excitabitur alter ab altero: nè carpi poſſit ab AEmulo, in nullo deerit officio. Multum poteſt AEmulatio. Hæc illa eſt, quæ ex ære Deliaco Iovem tonantem fecit in Capitolio, Magiſtro Polycleto. *(a)* Hæc excitabat ex ſomno Themiſtoclem, & Mithridatis AEmuli, trophæis ſtimulabat ad virtutem. *(b)* Hæc magnum Sfortiam per AEmulorum Ducum exempla, velut per incendia ad heroica inflammabat facinora. *(c)* Scilicet contraria promoventur per contraria. Hinc Arcſij duo cultelli, ſeſe mutuo exacuentes attritu: inſcriptio; *Acuimus, acuimur.* Hoc facit æmulatio. At ſi ardens eſt æmulationis ſtudium, unde Reip: timeri poſſit incendium, dividat illos Princeps, non perdat: Litigabant Abrahæ Lothíque Paſtores: Abraham altercantes non perdidit, diviſit, *(d)* hîc ſervire non poteſt? alibi poteſt. Vnde Tribunus quidam militum dixit Regi Cio, cum interimere vellet Præfectum: in legendis belli Præfectis illud Regi faciendum judico, quod Fabro lignario: hic lignum non abjicit, quia juſto brevius aut longius eſt: at id accommodat, cui aptum eſt: *(e)* Vtilis eſt vitis, utilis eſt braſſica, utriuſque conjunctio eſt mala; prudens olitor neutrum ejicit, utrumque dividit, utrique conſuluit. Appingo AEmulis vitem cum braſſica, & appono lemma: *Dividantur non perdantur.*

THE-

a *Plin: l. 34. c. 8.* b *Val: Max: l. 8. c. 15.* c *Iovius in vita.* d *Gen. 13. v. 8.* e *Martin: Martinius hiſt: Sin: l. 6.*

THESIS XXXVIII.

VOLUNTAS SINE INTELLECTU NON EST POSSIBILIS.

Non ſtet pro Ratione Voluntas.

CRedebant Platonici, Mundum à quadam anima regi: Regnum Saturni, Rationis: Regnum Iovis, animæ ſenſibilis Imperium dicebant. Saturnum à Iove Regno pulſum fingebant; quia plures ad bonum ſenſibile converti videbant. *(a)* Saturni Regnum ſit Principis Imperium: regat & regatur ratione Princeps. Saturnus Planetarum altiſſimus, motúque proprio tardiſſimus eſt. Motus Principis, dignus ſit Principali celſitudine; ſecundùm appetitum non feratur ad infima: menſura motûs ſit Ratio, non infrenis appetitûs inſana præcipitatio. Quod Sol eſt in Megacoſmo, hoc eſt Ratio in Microcoſmo, pro ratione voluntas non ſtet, niſi velis cæcus eſſe, in tenebris ambulare. Cæca eſt ſinè ratione voluntas, oſtendere viam non poteſt, ratio poteſt. Imprudens eſt, cui ratio viæ Dux non eſt. Voluntatem ſequitur cæcus cæcam, quò? *in foveam.* *(b)* Rationem ſequere: irrevocabilia decreta non fige. Prudentis eſt ſua bene judicia expendere, & ſi opus eſt, rejectis illis, ſuam imprudentiam damnare. Turpius eſt

a Picus & Cartar: apud Ricciardum. b Matt. 15. v. 14.

eſt in errore perſiſtere, quàm rationi cedere: indecens eſt jacere rationem, per quam ſolam ſtare poteſt Reſpublica: & ſtare pro ea cæcam voluntatem, per quam brevì jacebit miſerè dejecta. Infelix Princeps! cujus pertinaciam noverunt Conſiliarij: vertent in encomium, etiam quod in ſummum vergit detrimentum. Proſcribe igitur ad Thulen ultimam inſanum illud magis delirantium, quàm imperantium:

Sic volo, ſic jubeo: ſtat pro Ratione voluntas.

EX METAPHYSICA.

THESIS XXIX.

DISTINCTIO CONSISTIT FORMALITER IN NEGATIVO.

Quem unum tecum eſſe volueris, ei non facilè quid nega.

INimica negatio quid faceret aliud, quàm inimicos? facit dualitatem, dualitas inimicitiam, amicitiam unitas. *Inimici multi, amicus unus*: (a) *Amicus amico ani-*

a *Sen: in prov: Phil:*

anima una, una voluntas: (*b*) ſi una: amabò! quî fieri poſſit, ut amicus petat, & neget amicus? quid eſt amicus? *alter ego*, & quid *nego?* quaſi *non ego*. Ecce *nego* tollit *ego*: quomodo ergo non inimica negatio? Negationis negatio liberalitas eſt; liberalitas duarum inter ſe colligatarum mentium gluten. Hinc *conglutinata eſt anima Ionatha anima David: expoliavit enim ſe Ionathas tunicâ, & dedit eam.* (*c*). Non negare quod petitur, ſed bene facere, *regium* eſt Artaxerxi: (*d*) *Divinum* Demoſtheni. (*e*) Munificus es? ecce Rex es, DEVS es. Rex: quia corda regis; quem enim non ſubdunt munera? (*f*) DEVS es, quia omnipotens: quid enim non poſſunt munera? vincula ſunt, (*g*) quibus nec Samſonis manus (*h*) ſe exolvant. Arma ſunt: quid non expugnent? etiam hoſtis, ſi admittat dona, victus jacet. Hoc munerum magnetiſmo uſus Alexander Severus, (*i*) quid non fecit? nullam egit diem ſine munere. Sed importunus fiet petitor: quid facies? hoc, quod Ludovicus Galliæ XI. advertit importunitatem, non negavit, ſed dixit: *Amice ſi non feceris finem petendi, faciam ego initium negandi.* Sic nega, ut non neges, nega blandè; blanda negatio, non negatio, ſed beneficium eſt. Fortis illa de ultimis finibus heroina non negavit *ancillis cibaria*, & quid? facta eſt *navis Inſtitoris*, quid portat hæc navis? *panem*, (*k*) dicit amicus nocte: *commoda mihi tres panes*, (*l*) nunquid ſurges & propter importunitatem dabis?

b *Cic. de Amic:* c *1. Reg: 18.* d *Plut: in Reg: apopht:* e *Max ſer: 8.* f *Cic: 1. de fin.* g *Cic: 2. de fin.* h *Iud: 15. 14.* i *Lampridius.* k *Prov. 31. v. 10. 11. 12.* l *Luc. 11. v. 15.*

bis? ſurrexit Theodoſius, imò nunquam ſurrexit, ſemper ſtetit & benefecit, hoc commendat in illo Tacitus, & addit epiphonema: *Nulla major Principum felicitas, quàm facere felicem.*

THESIS XL.

ANTE GOGNITIONEM FORMALITAS UNA AB ALTERA NON DISTINGVITVR, IDEO SCOTISTICA DISTINCTIO NON DATVR.

Ante cognitionem cauſæ non judicandum.

SEnſit hoc ipſum Democritus, & dixit, optimum eſſe judicem, *qui citò intelligit, & lentè judicat*: (a) hoc diligentiæ, illud benevolentiæ. *Si judicas, cognoſce*; monet tragœdus. (b) Multa, quæ cognoſcat, habet judex. Sapientis Iudicis eſt, non quod ipſe velit, ſed quod lex & Religio cogit, cogitare: animadvertere, quâ lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur. (c) Glageſurtenſes, ſi quem ſuſpicabantur furem, frangebant ei cervicem: triduo pòſt inquirebant in rei ſcelus, ſi deprehendebant furem, in furcam agebant; ſi inſontem, cum pompa ſepeliebant. (d) Iudices! ô judicium! nunquid aures Nemeſi Sa-

a *Anton: ferm: de incorrupt: Iudic:* b *Sen: Trag: 7.* c *Cicero.* d *Æn: Sylvius.*

Sacræ? priùs aures quàm pœnas date reos. Si quid, auribus opus habet æquus judex; & hinc Iudici lyram appinxit Hieroglyphicus; (e) eruditas enim aures amat lyra: Vt pretium Iuſtitiæ ſit in pretio, bene audiat Iudex, nè malè audiat. Fecit hoc magnus Iudex Alexander: perorabat accuſator: aurium aperiebat unam, claudebat alteram: rogatus cauſam dixit; *alteram integram ſervo reo.* (f) & hinc, ut cauſas meliùs audirent Iudices, curavit Marcellus æquiſſimus totum Romæ forum velis *obumbrari.* (g) Nec tantùm Iudex auribus, acutus etiam ſit oculis: in Argum oculetur, ut cauſam bene perſpiciat, hinc judici duo timenda; *Amor & Avaritia.* Amor cæcus eſt, ſibi ſimilem reddit amantem; veniet, adducet junctum ſanguinem, amicitiam novam & veterem, magnorum literas, etiam armatas, etiam cataphractas, quid facies? aſpicies? oculis capieris, cauſam ampliùs vix inſpices. Expellis amorem? aderit *Avaritia*, offeret aurum, etiam lacrymis lotum. Si amas oculos, fuge munera, exoculabunt te: Divinum eſt oraculum; *munera excæcant oculos ſapientum.* (h) Pendet adhuc in Tribunali, Siſamnis excoriati pellis, quæ Otanem ejus filium admonebat, ut antè, quàm judicaret, præcipitis in judicio Patris exuvias aſpiceret. (i) Hanc pellem exhibeo Iudici cum epigraphe: *antequam judices, cognoſce.*

THE-

e *Pier: l. 47. p. 418* f *Plut: in apophte Reg:* g *Plin: l. 19. c. 1.* h *Deut: 16.* i *Herod: l. 5.*

THESIS XLI.

SOLUS INTELLECTUS ABSTRAHENS OBJECTIVE FACIT DIVISIONEM GRADVS METAPHISICI à GRADV.

An quantò ingenioſiores, tantò ad faciendas ſciſſuras aptiores?

SIc eſt: ingenioſi, acuti: ingenium quò majus, hòc acutius: quidni præ minori ſcindet acriùs? magna ingenia, ùt miranda, ſic timenda Scindunt, & integras quandoque Reſp: exſcindunt. *Mul.ùm ingenioſi, mul.ùm bilioſi, adeóque furioſi*, Ariſtotelis ſenſus eſt. (*a*) Ingenium autem acutum gladius eſt, à gladio furioſi, ab acie ingenij, quid niſi ſciſſuræ, lites? Magnum ingenium, fomes diſcordiarum; aſphaltus eſt, flammam facilè concipit, totum facilè ſolvitur in flammam (*b*) Væ Reip: quæ ſimilem ſinit ignem erumpere! habebit in illo funebria brevì funalia. Qui multùm ingenioſus eſt, à cratere Deorum ebrius eſt, ùt putat Mercurius Triſmegiſtus: ab ebrio non niſi lites expecta. Pomum eſt ingenium, ait Attius, (*c*) poma aurea, aurea ingenia. Quid faciunt aurea poma? unum dedit Paris pulcherrimæ, ecce diſcordia. (*d*) Vnum dedit Theodoſius Eu-

a *Problem: ſect: 30.* b *Conz: l. 4. polit: c.7.*
c *In Agell: 13. c. 2.* d *Virg: Æn: l. 1.*

Eudociæ: ecce iterum diſcordia, (e) ô ingenium aureum malum, malum! unde tot ſæpe malà granata jaciuntur in vertices populorum. Mediocria ingenia regnis tuta: patiuntur ſe duci, admittunt conſilia, ac (ut ità dicam) ſeſſorem. Magna ſeſſorem excutiunt, frena non ferunt, nec calcaria, imperium non patiuntur. Multùm ingenioſus ſublimè non poteſt contingere, quamdiu apud ſe eſt, deſciſcat oportet à ſolito, & efferatus mordeat frenos, ut rectorem rapiat ſuum, eóque ferat, quò per ſe timeret aſcendere. (f) Quid quòd ingenia magna plerumque volatica, ſemper in motu, inconſtantia? quod autem ventus Oceano, hoc inconſtans ingenium imperio: ille quietum mare concitat hoc pacem imperij conturbat: ab illo lamentabile naufragium, ab hoc fatale Reip: exitium. Et hæc de ſciſſuris ingenioſi. Ethice ingenioſe! acumen habes in ingenio, problematis hujus nodum juva ſolvere, ſi videor non ſolviſſe ſatis.

THESIS XLII.

ENS EST ANALOGUM.

Enti Analogo Nobilitas ſimillima, diverſis titulis acquiſita.

ENs per ſe, ens per accidens: Nobilitas per ſe, Nobilitas per accidens: per ſe à virtute propria, per accidens à ſola

d Majo-

e *Steng: Tr: 2.* f *Sen: lib: de tranq: animi.*

Majorum proſapia. Glorioſius eſt à ſeipſo inclareſcere, quàm ſolùm ab Avis & Atavis claritatis radios deſumere. Dignior alioquin fores ſanguine, quàm is virtute, à quo primùm tuus inclaruit ſanguis, ante hac obſcurus. Stat pro hac theſi defenſor acerrimus Ioan: de VVert Martialis gladius: cùm recenſuiſſent alij ſuorum origines ſtemmatum in convivio, narrationis ordine ad ſe devoluto aſſurgit, enſem extrahit, exclamat: *Hic eſt origo mea nobilitatis*, vive Heros verè Nobilis! vom Adel/ hoc eſt de Aquila, unde Nobiles olìm denominatos, vult Contzenius; (a) quòd *victrices Aquilas Romanáque ſigna* ſequerentur. (b) Hîc exclamat ſcitè Satyricus: (b)

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri?
Tota licèt veteres exornent undique cera
Atria, Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Vnica virtus, aut in arte, aut Marte. Nobilitas vera à virtute, per accidens ab hæreditate. Hæc Fortunæ arbitrium, rarò virtutis argumentum. Sanguis, non virtus ſanguine propagatur. Virtus eſt Nobilitas vera, *una hac eſt intuenda, alioqui ſi revocamus ad vetera, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt. Non facit nobilem atrium fumoſis imaginibus plenum. Nemo in noſtram laudem vixit: nec, quod ante nos fuit, noſtrum eſt.* (c) *Qui genus jactat ſuum, aliena laudat.* (d) Tota gloria, laus ab alio tota. Indoctus eſt, cujus omnis doctrina in alieno calamo eſt; ignobilis eſt, cu-

a *l. 8. Polit: c. 20. §. 4.* b *Iuven: Sat: 8.*
c *Sen: ep: 44.* d *Sen: in Herc: fur:*

cujus omnis Nobilitas ab alio eſt. *Pulchriùs eſt Nobilem virtute fieri, quàm naſci.* (e) Laudavit Alphonſum Regem Arragonum neſcio quis, quòd eſſet Regis Filius, Regis Nepos, Regis Frater; riſit ſapiens Alphonſus, dixit: *Quod tu magni, hoc facio ego nihili. Hac laus mea non eſt, Majorum eſt: Nobilitas vera non à teſtamento, ſed à virtute.* (f) Quod dixit Alphonſus, dico & ego. Addo tamen. Si cum Nobili ſanguine ità ſociam habes virtutem, ut tibi quodammodo injuriam videretur feciſſe Lucina, ſi Natalibus tuis illuſtris thalami decora negâſſet; tum enim verò te in excellentiſſimo gradu poſitum palàm pronuncio & declaro: quid enim habet, quod in te vel Nobilitas exoptet, vel virtus deſideret? non deeſt Nobilitati, quo ſuperetur à Virtuoſo ignobili; non virtuti, quæ minùs decorè in corpore latet ignobili, pulchriùs emicat in nobili. Quanquam nemini probroſa Virtus eſt. Ignobilis es? ſi virtutem habes, Nobilitatis baſim habes. Nobilis es? ſi virtutem habes, hoſpitem tuô domo dignum habes.

THESIS XLIII.

QOT SUPREMA DANTUR GENERA, TOT PRÆDICAMENTA.

Diverſa diverſis, paria merita, pari præmio honoranda.

d 2 Nu-

e Contzen: l. 1. Polit: f Panorm: l. 2. de rebus Alphon:

NUtriunt bene merentes præmia, ſed ponderari debent cujuſque bene merita. *Sinè diſcrimine non ſunt danda*, Ariſtotelis Ethici eſt ſententia. (a) Fecit hoc æquitatis cultrix antiquitas. Percuſſit quis hoſtem? haſtam: dejecit? ſi pedes, phialam: ſi eques, phaleras: primus murum conſcendit? coronam auream in præmium habuit. (b) Quæ res quantos animos addiderit, nec facilè calamus expreſſerit, etiam in hoſtile ferrum, in mortem coëgit. Hinc ardor ad tantos auſus etiam in Tironibus! cùm viderent non perſonæ, ſed virtuti; non gratiæ, ſed vulneri præmia commenſurari. Milites dabant manus & pedes, manus aureas, aureos pedes relaturi. Periculoſum eſt meritos milites, minùs meritis poſt haberi. Generoſus animus non patitur ſe negligi, poſtponi, contemni; exaſperatur, impellitur in ferrum, non nisi alterius partis ſanguine medicandum. Docuerunt hoc Coriolanus, qui à Romanis; (c) Alcibiades, qui ab Athenienſibus; (d) Narſes, qui à Iuſtino: (e) Borbonius & Auria, qui à Carolo VIII. ad hoſtem tranſierunt. Hoc in ſago, quid in toga? Ludovicus Galliæ Rex XI. Sutorem fecerat internuntium, Tonſorem Legatum, Medicum Cancellarium; (f) quanta in bene merita Nobilitate indignatio! quantum odium! ſcilicet *æqualitas altrix eſt pacis, inæqualitas odij ſeminarium & ſeditionis*. (g) *quid autem inæqualius, quàm & fortem & ignavum æqualibus præmijs ornari?* (h) imò vix meritum præ-

a *Lib. 4. Ethic:* b *vide Polyb.* c *Fulg: l. 7. c. 5.* d *Plut: in Apo:* e *Procopius de bello Goth. l. 3.* f *Bodin: l. 6. de rep:* g *Plut: in apopht: Lacon:* h *Xenoph: de Cyri inſt:*

præmiari, meritiſſimum negligi? Nero prodit in ſcenam habitu Citharœdi, inferior etiam infimo; Citharœdorum tamen donatur coronâ, ceteri judicantur indigni. Agitat currum in Olympijs, cadit, pene cervicem frangit, coronâ tamen coronatur Olympicâ, & ideo Hellanodicis (Olympiorum Iudicibus) aureorum mittit 10000. (i) Turpe, ubi non quid ſed quis præmiandus, attenditur. Veſpaſianus Adoleſcenti Nobili, qui redolebat muſcum, Præfecturæ rapuit officium, à virtute commendato commiſit; indignum officio ratus, qui plùs unguenta, quàm allium oleret. (k) Sapienti pauca: addo cum Ferdinando II. epiphonema: *Fiat Iuſtitia, aut pereat mundus.*

THESIS XLIV.

RELATIONIS PRÆDICAMENTALIS ESSE, TOTUM EST AD ALIVD.

Qui fieri petit aulicus, eſſe petit alienus.

TOtum eſſe Aulici eſt eſſe ad aliud: libertatem vendidit Aulicus, alterius eſt, non ſuus. Splendida ſervitus eſt aulica gloria. O quot viri Nobiles Principum obtundunt aures! recipi volunt in aulas, vix recepti, ſe non eſſe ſuos ampliùs, ingemiſcunt. Vincula ſunt Aulicorum munia,

i *Xiphilinus.* k *Suetonius.*

ât ſentit Chryſoſtomus, (a) & tamen quantus ambitus! ut incedas in his vinculis Aulicus, opinione tuâ feliciſſimus, quòd ità ſis vinculatus. Infelix felicitas! *felicem eſſe eſt ad arbitrium facere omnia, non impediri, non cogi. Si Cæſaris amicus eſt, cogine deſijt? beatus es? procede in medium Aulice, & dic nobis: ex cóne tempore quietiùs dormiviſti, quàm antea, cùm non dum Domeſticus Cæſaris fuiſti? audis? per DEOS! propè ſomnum capio nunquam, modò adeſt, qui dicat: jam evigilavit Cæſar, jam egreditur: tum cura, tum ſolicitudines. Suaviúsne cœnâſti? O! vocor ad cœnam, cœno ùt ſervus cum Domino, ſolicitus ſemper, nunquam liber,* ità diſcurrit Epictetus. (b) Quanta ſervitus! & hoc non ſit deſinere ſuum eſſe? manè per horas ſtat ad conclave officij causâ: â Principis juſſu pendet totus, exilit ad tintinnabuli pulſum, quaſi fulmine territus: abjicit omnia, conſiſtit ad fores: quod indicatur aut nutu, aut digiti crepitu, obſervat ad anxietatem: nullum habet ſibi tempus, locum proprium nullum, præcariò omnia: alienâ vivit quadrâ, ad omnem Principis occurſum pallet, erubeſcit, fugitat, ſæpe timet, toties inflectit genua, nutat verticem, omnia Principi, alteri omnia, ſibi nihil. Interim gaudet dulci pace privatus, ſine cura, liber, ſemper ſuus. Ariſtoteles prandet, cùm vult Alexander; Diogenes, cùm vult Diogenes: dixit Diogenes, cùm audiret prædicari, quòd Aulicus eſſet Ariſtoteles. (c) *Cavea gallinacea, eſt vita Aulica*, dixit Proceribus Maximiliani Mathematicus. (d) Aulici incluſi ſunt

a *Orat: 66.* b *apud Arrian: l. 3. c. 26.* c *Laërt: l. 6. c. 2.* d *Doctor Stabius apud Hadamir: de inſtit: Princ: p. 142.*

ſunt in cavea: qui libertatem rem charam exiſtimat, abhorret ab Aula. Suadebit Roterodamus 50. annorum Aulicus: *Si burſam adverſis pingueſcere, vivere diſce:*

Alterius non ſis, ſi tuus eſſe potes.

Hoc ille, non ego: dignus eſt Princeps, ut illius potiùs ſis, quàm tuus: Aulicus eſſe, ſi opus eſt, debes, & potes etiam tuo bono: glorioſius enim eſt, te eſſe aliquid Principis, quàm tui; Si tuus es, unius es: ſi Principis es, omnium es.

THESIS XLV.

PEREUNTE TERMINO PERIT RELATIO PRÆDICAMENTALIS IMMEDIATE.

Trahit una ruina ruinam.

Vulnus immedicabile recidendum eſt enſe, nè partem vitiet ſinceram, etiam ruina modica reſarcienda eſt, *trahit una ruina ruinam.*

- - - - - uncus aratri

Ferreus occultè decreſcit vomer in arvis.(a) Attrita damnis Reſp: ſenſim deficit, nec notatur. Sic etiam lapis, *gutta cavat lapidem:* (b) ſtillicidio paulatim lapis perforatur, quid minus eſt ſtillicidio? etiam hoc diſſimula, ſenſim accipiet foramen Reſp: & egreſſa ſe perdet, quàm habere clauſam domi videbatur, Fortuna. Fabrica eſt Reſpublica, & fabrica

d 4

a *Lucret: 1.* b *Ovid: 4. pont: 10.*

brica ſuper arenam, hinc *conſilium in arena.* Fabrica ſuper arenam facilè corruit, nec opus eſt, ut pluviam urgeant venti, ipſa ſenſim affluens arena, arenulam trahit poſt arenulam, & demum totam cum arenulis fabricam pertrahit in ruinam. Navis eſt Reſp: quoties inſinuatæ guttatim aquæ neglectus illapſus navim naufragam depreſſit in pelagus. *Corpus eſt Reſp*: membrum putridum totum corpus corrumpit, (c) damnum etiam unicum Remp: ruinat neglectum. Malè ſibi Princeps conſulit, qui minuta Reip: damna negligit. *Contabeſcunt extrema, paulatim emoritur ipſe venter*: contabeſcit Reſp: nec diu ſtabit Principis Fortuna. (d) Vnam ergo ruinam claude, multas occludes in una. Cùm fortè nivoſos transvolaret montes avis in Styria, impegit alam in frondem, decuſſit nivem. Nix decidit modica, partem traxit poſt partem devoluta, globoſum crevit in montem, mons niveus oppreſſit viatorem. Hoc habet ruina, non facile ſiſtit. Effringatur lapis è pariete, quacunque trahetur viâ plures trahet unà. Exaſperatus in Rep: vel unus, divulſus vel unus à Principe ſatis eſt, ut exaſperentur plures, plures avellantur. Vnde ſemper ſtabilies antè ceteros, quàm præcipites noxios: nè ruinâ trahente ruinam, totam Reip: ruines fabricam.

THESIS XLVI.

QUANTITAS EST QUID CONSEQUENS AD SUBJECTUM PRIMVM.

Subje-

c *Cic: Philip:* 8. d *Threvir: in apopht:* 87.

Subjecta bona facilè ſequitur opum magnitudo.

APtitudinem ſubjecti ſequitur quantitas, virtutem & ſapientiam opum magnitudo. Scis multos, qui officia pinguia, præfecturas, dignitates quærunt, an apti ſint, non quærunt; *ad lyram* (ùt dicitur) *aſini, ſues ad Minervam.*

O Cives, Cives! quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos, - - - -

Ejus modi clamant mali Politici. O tempora! ô mores! hoc eſt ὕστερον πρότερον! priùs induci volunt formam, quàm diſponatur ſubjectum. Primum quod quæras, virtus eſt, priùs Minervæ ſacrificandum eſt: fecerunt hoc Rhodij; & Iupiter aureâ nube, ſuſpensâ in aëre, totam Inſulam irrigavit,(*a*) fecit hoc Ageſilaus, qui primùm Athenis vixit, & diu Romæ dixit: reliquit à morte 300000. drachmarum. (*b*) Fecit hoc AEſopus Tragœdus, Tullio familiaris; habuit ſuperſtitem filium tam opulentum, ut uniones etiam aceto liquefactos cœnis apponeret. (*c*) Fecit hoc pene Chriſtianus Seneca! acquiſivit termillies ſeſtertiûm, hoc eſt, florenorum 1000000: (*d*) Sapientiam & Virtutem Dominam Opulentia famula comitabatur. Obſervârunt Auctores magni, opes Regum Sapien-

a *Pindarus.* P. B. b *Minadrachmas habet 100. Mina 100. habent 1333. floren. 20. crucif:* c *Plin: citatus à Bayerling:* d *idem ibid.*

pientiæ & Virtuti, inopiam ineptitudini ſociari. (*e*) Salomonem lege, (*f*) & diſces opulentiam Virtutis & Sapientiæ comitem umbram eſſe. Aptum te reddet Virtus & Sapientia, & *omnia tibi venient pariter cum illa.* (*g*) Accidit hoc Siachoo Principi Sinarum. Cum Imperatore ceperat Vrbem Licupangus, captam conceſſerat militi prædandam. Quid Siachous, delicium Lieupangi? Summa Magiſtratûs Muſæum ingreſſus non opes, ſed Geographiæ tabulas; non theſauros, ſed libros, quibus Imperij Sinici loca, perſonæ, reditus deſcribebantur, abſtulit. Lucratus eſt per hos Siachous plus militibus omnibus: quem Lieupangus, cùm regeret Imperium, tantam in eo rerum notitiam demiratus, ad ſummos honores & opes evexit. (*h*) Subjectum bonum, Siachous: opum magnitudinem facilè accepit comitem. Connubium inierat cum ſapientia, venerunt illi pariter omnia cum illa. Suſpendo hanc theſin ad antrum Mercurij,quod finxit Orpheus rerum omnium copiâ plenum, ut oſtenderet omnem à ſapientia provenire felicitatem. (*i*)

THESIS XLVII.

A QUANTITATE SOLUM NUMERICA DISTINCTIO DESVMITVR.

A ſo-

e *Laërt: in Annal: Salluſt: in Orat: ad Iul: Caſ:* f *3. Reg: 3.* g *Sap: 7. v. 11.* h *Martin: Martin: Hiſt: Sin: l. 7.* i *Farra in Tract: Mercurij fol: 6.*

A ſola Opum magnitudine minima æſtimatio promanat.

MAgna res! ſcilicet! mancipium in catenis aureis: equus in phaleris argenteis: aſinus in frenis pretioſis. Et quid eſt dives ſinè ſapientia, ſinè virtute? *mancipium in auro:* (*a*) *equus in argento:* (*b*) *aſinus in pretio*, (*c*) pulchrum eſt vellus aureum, ſed quid juvat arietem? denique in vellere aureo aries manet aries: quod ipſum de divite ſinè literis, dixit Diogenes, (*d*) hinc mutuatus eſt emblema ſuum Alciatus cum epigraphe: (*e*)

Tranat aquas reſidens pretioſo in vellere Phryxus,
Et flavam impavidus per mare ſcandit ovem.
Ecquid id eſt? Vir ſenſu hebeti, ſed divite gazâ,
Conjugis aut ſervi, quem regit imperium.

Viri divitiarum! profectò parvi vos æſtimo, ſi ſolis opibus eſtis magni. *Magnus dives, qui non ſe ideo magnum putat, quia dives eſt.* (*f*) *Nihil eſt tam anguſti animi, quam divitias amare.* (*g*) quid ſunt divitiæ? *nuncius:* prætereunt, *navis:* pertranſeunt, *umbra:* evaneſcunt, (*h*) quid hæres in umbra, quæ jacet in

a *Eraſm: l. apophtheg.* b *Stobæus.* c *Æſop. apud Plutarch.* d *Eraſm. in Adag.* e *eſt CLXXXIX.* f *Hier. l. 1. ſerm. 19.* g *Cic. offic. 1.* h *Sap. 5.*

in terra? ad altiora mentem erige, ſi vis magnus eſſe. Quàm viles eſtis divites Anareti, divites Amuſi! honoramini *propter numiſmata*, habent hoc etiam *vilia marſupia*. (*i*) Habete & Mydæ Divitias, (*k*) & opes Pactoli (*l*) & opulentiam Cinnari. (*m*) & Talenta Tantali: (*n*) Convivium habetis ſinè conviva, ſi virtutem non habetis. Et quàm grande eſt tandem illud tantillum, à quo vos tanti & tantos putatis? Socratem interrogate: jactabat Alcibiades, ſpatioſos agrorum limites: audivit hoc Socrates, ductum ad Tabulam geographicam, rogavit, ut quæreret Atticam, quæſivit, invenit, juſſus ſuos fundos oſtendere dixit: non ſunt picti. Ecce! ſubdidit Socrates, (notate Divites!) quàm grandis es re, quæ nuſquàm eſt.

THESIS XLVIII.

SUBSTANTIA CONSISTIT IN TERMINO NEGATIVO.

Quæ inſatiabilia ſunt non ſubſiſtunt.

ET quomodo ſubſiſterent inſatiabiles? habent morbum, qui curari non poteſt.

Tolle

i *Bion apud Stob.* k *Natalis Comes l. 9. c 15. mythol.* l *Herodotus l. 5.* m *Eraſm. in Adag.* n *Pindarus in Olym:*

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidat is auxiliatur aquis. (a)
Hydropem habent, ex perpetua hoc colligo ſiti, quæ non poteſt expleri. Quot fuerunt, qui etiam ſitiêrunt Imperia, vix ſatiati proprio ſanguine, ferri victimæ! Scio Iulios & Nerones: (b) ſcio Tiberios & Gordianos: (c) ſcio 50. minimùm Romanos Cæſares, (d) quorum inſatiabilis cupiditas non niſi effuſo ſanguine, aut veneni hauſtu quievit. Hoc medicamine non eget, qui hanc ſitim nô habet. Securus vivit, quisquis parvo contentus vivit, imò parvum non eſt, quod habet: habet multum, qui ſic vivit, quia ſatìs habet. *Nunquam parum eſt, quod ſàtis eſt: & nunquam multum, quod ſatìs non eſt.* (e) Quàm egeni ſunt, qui finem quærendi non faciunt: in quibus finis cupiditatis unius, eſt initium alterius: ſemper parum habent, quia nunquam ſatìs habent. O ſitis! etiam ipſi naturæ vim parat. Vltra Oceanum auſu fatuo novum quærit Imperium. Ità præcipites ad explendam auri & honorum cupidinem rapimur. *Quid non poteſt improba ſitis, qua plebejos etiam ſpe prada & lucri agit tranſverſos? & rapimur interim in medio magnarum cogitationum, & ſiſtit Fortuna curſum & ſpe fruſtratur.* (f) Sic fit, currimus, ſiſtit curſum Fortuna, coacti ſubſiſtere malè ſubſiſtimus, cadimus & nobiſcum totæ ſæpe familiæ; Hinc Tullianum illud lamentum: *O cupiditas inſatiabilis! non modò ſingulos homines, ſed univerſas Familias evertis: totam etiam ſa-*

a *Ovid*: b *Suetonius*. c *idem*. d *Florus*. e *Sen: in epiſt:* f *Scriban. in polit. Chriſt.* g *Cic: de Fin: 1.*

pe Remp: labefactas. (g) Politice! multis annis à gradu ad gradum, ab officio aſcendiſti ad officium? ſcis quid ſuadeam? hoc, cogita: *non plus ultrà*, eo, quod habes, contentus vive, nè ſi petas, quod non habes, amittas etiam, quod habes.

THESIS XLIX.

ESSENTIA AB EXISTENTIA DISTINGUITUR IN CREATIS.

Quo ſtamus, ſeparabile eſt.

O! cogitâſſet hoc Otto Crondorfferus, infelix apud Rudolphum Rheni Palatinum Aulicus! homo alioquin obſcurus, tandem ſic evectus, ut eſſet poſt Rudolphum primus. Non congitavit, linguam & oculos cum primatu amiſit; factus, ùt antè, ultimus omnium, nihil. (a) Stetit, cecidit: id, quo ſtetit, ſeparabile fuit: perijt, evanuit. Stas? cogita te ſtare ſuper Fortunæ rotam; gyrabitur, cades. Stas Fortunæ pullus? ſcenam cogita: Sceptra & diademata porriguntur in ſcena: quamdiu? ad ſemihorium, elati & cothurnati vix incedunt Comædi, ad ſtaturam ſuam redeunt excalceati. Talis ſcena Fortunæ ſchola: hodie ſuprà, cras infrà: hodie Dominus, cras ſervus: hodie unus è Regibus, cras è gregibus. *Quo ſtas, ſeparabile eſt*, cogita Cræſi rogum, (b) Agis laqueum, Ni-

a *Aventon. l. 2. Annal. Bojorum.* b *Herod. l. 1.*

(*c*) Niciæ lapides, (*d*) Phocionis venena, (*e*) Ptolomæi & Iugurthæ vincula, (*f*) Bajazetis & Lucij caveam ferream, (*g*) Alcibiadis tela, (*h*) inediam Pauſaniæ, (*i*) Manfredi ſecurim, (*k*) omnes ſteterunt, ceciderunt omnes, *quo ſtat, ſeparabile eſt*, quia fragile eſt, quidni fragile? quidquid habet Fortuna vitrum eſt arundo eſt. Vitrea eſt Fortuna, quæ dum ſplendet frangitur, dixit Mimus Liberius. (*l*) Senatorum ſubſellia, Regum atria, omnia vitrea, ipſi Reges, hinc Guſtavus victorijs clarus, cùm Vrbes ſibi quaſi DEO ſupplices effuſas videret, dixit: *Animum circumfero ferreum in corpore vitreo*, (*m*) bene dixit, brevì dictum exitus probavit, cecidit, quia vitrum, quia arundo fuit. Quid exîſtis in deſertum videre? (*n*) arundinem? ſi arundinem vultis, cur ad deſertum itis? ecce! arundines in aulis, arundines in foro, arundines in Curia, *arundinetum eſt tota mundi gloria*. (*o*) Et hinc forſan illæ cannæ, arundines illæ Hiſpanicæ in manibus Principum & Miniſtrorum. Habes Patronos Nobiles? ſunt mobiles: non fide, ſuper baculum arundineum inniteris. Arridentes amicos habes? hodie amici, cras inimici: non fide, ſuper baculum arundineum inniteris. *Accidens eſt humana amicitia, non ſubſtantia.* (*p*) Accidens nunc adeſt, nunc abeſt, ſeparabile eſt.

c *Plutar. in Apo.* d *Plutar. de ſuperſt.* e *Plutar. in Phocione.* f *Saluſtinus in Iug:* g *apud Bayerl. lit. R. f.* 330. h *Plutar: in Alcib.* i *idem in ejus vita.* k *Pand. Collenutius.* l *Laſ. Biſc. l.* 2. *c.* 42. m *Comes Gualdo in hiſt. Suecia.* n *Luc.* 7, 24. o *Gregor:* 33. *c.* 3. p *Petrus Abbas Cell. lib.* 5. *ep.* 21.

eſt. Habuit amicum (Martis pullum) Carolus VII. erat illius baculus, tam fidelis! petit ab eo familiariter Carolus, quid mundus haberet, quod amicitiam illius cum Rege poſſet infringere? Reſpondit audax amicus: *Vn aff ent Sire.* Vnum dedecus Domine Rex! ecce baculus arundineus! innixus hujuſmodi baculo ſtas? vide, nè cadas.

THESIS L.

DEUM ESSE, DEMONSTRATUR.

Atheorum Prudentia rationi contraria.

D*Ixit inſipiens in corde ſuo: non eſt DEVS,* (a) dixit in corde: cur non ore dixit? *nòn auſus eſt, adeò nefandum eſt:* intra cor quaſi tenebris abſcondit. (b) At quod non auſus ille, audent hodie, qui plenis buccis contendunt Numen non dari, contingere caſu omnia. O ſurdi Athei! non auditis vocem naturæ? quot rebus, tot linguis teſtatur DEVM dari, imò unà voce clamant omnia: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos,* (c) quid clamat univerſi venuſtas? rerum varietas? noctium & dierum ordo? temporum æqualis viciſſitudo? corporum cœleſtium ſtructura, magnitudo, majeſtas? ſphærarum ac orbium tam conſtans inconſtantia? nunquid

a *Pſ: 13.* b *Aug. in hunc Pſ.* c *Pſal: 99. 3.*

quid Rectorem ſummum loquuntur omnia, cujus imperiô reguntur & ſapientiâ hinc *cœlum, liber Idiotarum*; (*d*) *in paginis elementorum, in voluminibus temporum* DEVS legitur, intelligitur, (*e*) ô hebetes, nec legere nôſtis! ſed quid? omnia fortuito quodam concurſu contingunt. O cerebri otioſi commentum! mentis inſanæ delirium! nec ſphæram ligneam (cœli umbram) ſinè ſumma artificis arte, caſu compactam unquam vidiſtis, & ingentem illam molem (ſtupendum mundi artificium) ſic coaluiſſe dicetis? O ſtulta prudentia toto elleboro vix ſananda! Sed negate! res tamen à ratione clara eſt: ultro clauditis oculos, quò excuſſo quaſi Legislatore, luxuriemini liberiùs ſinè legè. Clamant contra vos Nationum omnium ſenſus & conſenſus. Cum naſcente mundo nata eſt DEI cognitio: monſtrum erat vel dubitare. Hinc tam gravis ſemper in Atheos animadverſio ab Athenienſibus, ùt peſtes Reip: capite plectantur; (*f*) Socrates negat, & damnatur: (*g*) Protagoras dubitat, & proſcribitur. (*h*) Et vos ſuper omnium Nationum ſapientiam ſapietis? O! ad carceres cum ſtultis! ad catenas cum belluis! hominem exuiſtis: DEVM negatis, & omni ſceleri viam reſeratis, Voluptas vobis ſcopus eſt: quò ſceleratiores, hòc beatiores. Exterminentur ex rerum natura naturæ monſtra, homines non homines, entia non entia, quia illum, à quo ſunt, ſtulta negat eorum prudentia. At ſinamus ſtultos, ſapiens Ethice:

hau-

d *Baſil: hom. 11. hexam.* e *Proſper. l. 2. de vocat. gentium.* f *Sudias.* g *apud Beyerl: lit. R. f. 110.* h *Calius l. 22. c. 1.*

hauſimus à Magiſtra Natura moralis hacte-nus ſapientiæ documenta: hauriamus etiam hoc ultimum, quod inter omnia tenet pri-matum: *Ipſe fecit nos.* Quis ipſe? *Ens* (*i*) entium ens: *DEVS.* O DEVS! Euripus, quem nemo capere! Abyſſus, quam nemo poteſt enavigare. Quantillum mare Philo-ſophia! enavigâſſe me credebam omnia: & ecce! nunquam enavigandus Oceanus reſtat poſt omnia. O Euripus Euriporum! Abyſſus Abyſſorum! quia non poſſum enavigare te, immergo me in te, & ultimùm ſuſpiro cum expirante Ariſtotele: *Quia ego non ca-pio Te, Tu cape me:* O Ens entium! Tibi.

O. A. M. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE